

Dissertatio Theologica Inauguralis Ad Locum Ps. CXXXII. v. 17

Bremæ: Typis Viduæ B. Herm. Christ. Jani, Anno 1749

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn869676822>

Druck Freier  Zugang






393

a. B.
48. b. 8.

Phys. La - 1092

La - 1092 (113)

Fa - 1092.



15.

DISSERTATIO THEOLOGICA
INAUGURALIS

AD LOCUM Ps. CXXXII. v. 17.

QUAM

JUSSU SUMME VENERANDI ET PERINCLYTI
THEOLOGORUM ORDINIS

IN

A C A D E M I A

QUÆ

TRAJECTI FRANCORUM AD VIADRUM EST,
QUUM SIBI HONORES ET PRIVILEGIA

DOCTORIS THEOLOGI


CONTULISSET

SPECIMINIS LOCO CONSCRIPSIT

HENRICUS DREIER,

ANTE HAC

PER XIV, ANNOS IN INDIA ORIENTALI, INTERQUE ILLOS PER TRES,
IN METROPOLI BELGARUM URBE BATAVIA ECCLESIAE PASTOR.



B R E M Æ,

TYPIS VIDUÆ B. HERM. CHRIST. JANI, QVONDAM ILLVSTRIS
GYMNASII TYPOGRAPHI.

ANNO 1749.

15

17

19 27

20 26

21

22

23

24

DISSERTATIO THEOLOGICA

IN ACADEMIA
AD LOCUM P. CXXXII. V. P.

QUAM
JUSSU SUMME VENERANDI ET REVERENDI
THEOLOGORUM ORDINIS

A C A D E M I A

TRAJECTI FRANGORUM AD VADUUM EST

DOCTORIS THEOLOGI

CONTULISSET
HENRICUS BREIER

PER XIV. ANNOS IN INDIA ORIENTALI INTRINQUE KLIPS PER TERRAS
IN METROPOLI BEGALAM URBE BATAVA ECCLESIAE PASTOR

DR. M. M. N. 12
TERRA YINDE. A. HEROG. CHRETT. JAN. QUONIAM ILLUSTRISS
GYMNASII. THEOLOGICI.

INCLYTÆ
SACRI ROMANI IMPERII
REIPUBLICÆ BREMENSIS

SENATUI

SPLENDIDISSIMO

VIRIS

ILLUSTRIBUS, MAGNIFICIS, EXCELLEN-
TISSIMIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
GRAVISSIMIS, CONSULTISSIMIS

DOMINIS

CONSULIBUS

DOMINIS

SYNDICIS

DOMINIS

SENATORIBUS

17
18
19 27
20 26
21
22
23
24

PATRIÆ PATRIBUS,
LIBERTATIS PUBLICÆ DEFENSORIBUS,
JUSTITIÆ VINDICIBUS,
AC MUSARUM STATORIBUS,
DOMINIS ATQUE MÆCENATIBUS SUIS
DEVOTA SEMPER MENTE COLENDIS

HANC DISSERTATIONEM
INAUGURALEM

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA
SACRAM FACIT

AUCTOR.



PERILLUSTRI EXCELLENTISSIMO

ET

GENEROSISSIMO DOMINO,

DOMINO

GUSTAVO WILHELMO

S. R. I. L. BARONI

AB IMHOFF,

INDIÆ ORIENTALIS

NOMINE POTENTIS SOCIETATIS BELGICÆ

GUBERNATORI GENERALI

17
18
19 27
20 26
21 5
22
23
24

FAUTORI
AC
BENEFACTORI
SUI MAXIMO


S. R. L. BARONI

AB IMHOFF.

DISSERTATIONEM HANC
INAUGURALEM

GRATO SUBMISSOQUE ANIMO OFFERT
ATQUE CONSECRAT

AUCTOR.



DISSERTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS AD Ps. CXXXII. v. 17. PARS PRIMA.



§. I.

Quicumque Promissionem Divinam, quæ hoc loco continetur, attenta mente consideraverit, confitebitur illam Israelitarum Genti expectationem rei maximæ momenti excitavisse. Quænam autem illa res sit, quam benignissimum Numen Israelitis hic sperandam proposuerit, de ea hætenus Eruditorum divisæ fuerunt sententiæ. Hoc ipsum autem animum nostrum impulit, cum aliquod eruditionis qualiscunque nostræ Specimen exhibere debuerimus, vires nostras, licet exiguas, periclitari tamen, an locum nostrum luce aliqua conspergere possimus?

A

§. II.

17
19 27
20 26
21 5
22
23
24

§. II.

Priusquam autem ad illustranda verba ipsa nos accingimus, contenta Psalms & scopum ejus indagabimus, ut absque impedimento in explicatione ipsa progredi possimus. Hæc autem via, quam alias etiam omnes prudentes elegerunt Interpretes, maxime à nobis hic est eligenda, cum à nexu & fine totius Psalms verus verborum nostrorum sensus dependeat. Videbit enim, quicumque sequentia perillustrare non fuerit dedignatus, quam fortiter inde concludere liceat, quid Deus hic tam efficaciter loquens, populo suo promiserit.

Quando autem à sententia Virorum quorundam Summorum, qui Eruditionis lande omnium, & nostram quoque existimationem sibi acquisiverunt, recedimus, id aliam ob rationem non facimus, nisi quod animum veritati addictum teneamus. Si forte etiam novi quid hic invenias, Beneyole Lector, id benigna mente recipias, si tibi illud placuerit;

Sin autem minus, studium & voluntatem damnare non velis, cum veritatem invenire & ejus scientiam augere tulerit animus.

Scilicet promovendi sunt fines reipublicæ Literariæ, ac superiorum ætatum inventis, nos quoque adicere non nihil, atque ita opes nostras augere & exaggerare debemus. Hoc novitatis studium tantum abest, ut vituperari debeat, ut potius summam habeat apud omnes bonos laudem, HEUMANI Poecil. in Præfat.

§. III.

Psalmus noster iis adjectus est qui in fronte hanc gerunt Inscriptionem שיר המעלות, quæ verba ab Interpretibus doctissimis, & quidem maximo jure redduntur *Psalmus Graduum*. Quem sensum titulus hic fundat variæ extant Interpretum Sententiæ, quas omnes hic colligere & exami-

examinare super vacaneum foret, cum id jam alii satis superque fecerint vid. PFEIFFERI *Dub. Vex. Cent. III. Loc. 81.* & SNEIDERUS in *Lex. Bibl. sub. tit. Sieder im höherem Chor.*

Inter multas autem ea nobis maxime arridet explicatio, secundum quam statuitur, Psalmos hosce, inde titulum nomenque suum sortitos esse, quod illi in XV. Templi gradibus, qui ascensum in atrium virorum præbebant, a Levitis, ad augendam Festi Tabernaculorum Lætitiam, publicè fuerint decantati.

Plura sunt, quibus hæc sententia commendari & adstrui potest, argumenta, quæ nos etiam commoverunt, ut eam aliis præferre in animum induxerimus. Provocant imprimis, quos hac in parte secuti sumus, ad genuinam vocis graduum Significationem, secundum quam optime dictos gradus potest denotare, ut patet ex *1. Reg. X. v. 19. Exod. XX. v. 10. & Ezech. XL. v. 31.*

Adjiciunt traditionem Judæorum, qui idem docent, quos Testes in rebus ad cultum ipsorum pertinentibus rejicere, nullam habemus sufficientem rationem vid. *Cod. Succa cap. 5. m. 4. & SAL. BEN MELECH in Michlol Jophi ad Pl. CXX.*

Imprimis cum hoc de Graduum Psalmis Testimonium iis libris inseruerint, quibus ea quæ a Patribus suis tradita acceperunt, complexi sunt. Plura addere superfedemus, cum hæc, nisi me omnia fallunt, in re adeo canæ antiquitatis sufficiant confirmandæ sententiæ, quam adoptavimus, vid. inter alios viri vñ év αγγλως LAMPIUS in *Lectiõibus ad Psalmos Graduum*, & RHODIUS in *Dissert. ad Pl. CXXX. v. 6.*

Observandum autem est, quod si Psalmi, inter quos noster locum occupat, in Festo Tabernaculorum fuerint recitati, illos etiam sine dubio ita comparatos fuisse, ut id commode fieri potuerit. Inde autem sequitur, Psalmos hosce ejusmodi res continuïsse, quæ cum significatione & gaudio hujus Festi conspiraverint. Hæc observatio facem

B

nobis

17

19 27

20 26

21 5

22

23

24

nobis præferre poterit, ut eo facilius Psalms nostri scopum & imprimis verum verborum, quæ explicare nobis apud animum proposuimus, sensum invenire queamus.

§. IV.

De Authore Psalms variæ reperiuntur Interpretum Sententiæ, dum quidam Davidem, alii Filium ejus Salomonem eum composuisse existimant. Priorem sententiam LIGTHFOOTUS atque SMIDIUS, licet de occasione Psalms haud consentientes; posteriorem LUTHERUS, AMYRALDUS, aliique adoptarunt.

Sed nihil certi de Authore Psalms nostri dici posse, patet, cum contenta ejus nullum nobis exhibeant Personæ scribentis Criterium, quo ab aliis dignosci potuerit.

Quod enim Psalms de Davide agat, inde certe, ut observavit jam LAMPIUS *Comment. cit.* concludi non potest, quod ille ejus fuerit Author imprimis cum de dicto Rege alius in tertia persona sermonem faciat.

Nobis præterea ex precibus videtur, quas persona five fidelium coetus hic loquens coram Deo fundit, colligi posse Davidem Psalms hunc non conscripsisse. Ille non de se ipso dixisset: memento, Domine Davidi omnem molestiam ejus v. 1. neque addidisset: propter Davidem Seruum Tuum ne avertas faciam Uncti tui v. 10. Cum hæc Davidi insignem tribuant excellentiam excelsumque in amore Dei locum; videretur consuetæ Scriptoribus Sacris modestiæ contrariari, si quis statuatur talia Regem de se ipso cecinisse.

Salomonem autem Psalms nostri esse Authorem nobis non fit verosimile, cum preces pro Salute hujus Regis v. 10. promissionesque divinæ de regno ejus v. 17. 18. inveniantur, veluti in sequentibus demonstrare annitemur.

Legimus quidem v. 8. & 9. eadem verba quibus etiam usus est Salomon 2. Chron. VI. v. 41. 42. inde autem minime confici potest, Psalms nostrum Regi huic tanquam Authori tribu-

tribuendum esse, dum etiam alius vir Sanctus Salomonis verba potuit sua facere, quemadmodum & illud jam laudatus supra LAMPIUS dicto Loco probe observavit. Si quis autem sententiam nostram, quam statim confirmaturi sumus, sequi permoveatur, ille facile affirmabit ad veritatem proxime accedere, si quis statuatur, Psalmum hunc à quodam Cantore e Levitis, de quibus in Historia inaugurationis Templi Salomoni mentio fit, confectum esse. Vide de iis 2. Chron. VI. v. 12. Sic nempe Psalmus LXXIII. à Cantore Asapho originem traxit quemadmodum inscriptio פסלם docet.

§. V.

Sed progredimur ad indagandum scopum, & argumentum Psalmi nostri; qua de re, quod mirum nobis videtur, divisæ etiam sunt Interpretum sententiæ. Plurimi, quantum notum est nobis, eum referunt ad tempora V. Testamenti, inter quos vel ipse numeratur COCCEJUS, qui alias facile Vaticinia de fidelibus N. T. Psalmis aliisque Prophetarum locis assignabat. Ab iis omnibus recessit LAMPIUS citato loco de Psalmis graduum, & sententiam suam sequentibus expressit verbis: „putem ergo Psalmum hunc continere descriptionem, quo Deus spem Israelis aliquando expleturus est, per Ecclesiæ sub regno glorioso cælestis Davidis, quod adhuc expectatur, firmationem, amplissimamque benedictionem pag. 199.“

Virum hunc Doctissimum, qui alias maximam sibi in explicanda Scriptura Sacra laudem acquisivit, hac in parte hypothese suam de Psalmis Graduum secutum esse, negari non potest. Sed cum Ille sit Literarum Sacrarum Interpres, qui inter primos recenseri meretur, illius deserere sententiam minime fas erit, nisi ostenderit nos argumentis factis ponderis habentibus eo inductos esse.

Ut autem hoc, quam clare fieri potest, ostendamus primo loco rationes, quibus Vir Eruditissimus ad arripiendum sententiam suam commotus est; deinde Signa temporis ad

quod hic respicitur, quæ Psalmus noster abunde continet, in lucem protrahere constituimus. Inter rationes illas, quas diximus, primum locum occupat, quod, si Psalmus de V. T. temporibus explicetur, ordo in Psalmis Graduum, quem hic usque Ille docuerat, turberetur pag. 197. Hanc autem de ordine Psalmorum fovebat sententiam, ut statueret, contineri in iis "celebrationem Fidelitatis, & constantiæ Dei in Ecclesia sua per omnes tentationum fluctus, in Salo hujus mundi conservanda, ac ad summam perfectionem paulatim præparanda."

Secundum quam opinionem etiam generalem Psalmorum Analysin instituit pag. 5. & seq. Sed vereor ut hæc sententia suo consistere loco possit, si quis accuratius Psalmorum contenta perlustrare velit. Vix enim dubito, quin omnes hymni, qui à gradibus nomen sortiti sunt, de diebus, quos Israel sub Fœdere vetusto vixit, possint explicari.

Illud vel de ipso Pf. CXXII. quem omnium minime eo referri posse, cum TILLIO existimat Vir sæpius jam laudatus, ad oculum demonstrare possemus, si scopus noster id permetteret.

Errarunt enim viri Eruditissimi, dum Davidem ipsum citato Psalmo loqui, urbem Hierosolymorum ad summam perfectionis gradum reductam, hic proponi, & talia de ea dici, quæ non nisi de Spirituali urbe intelligi queant, existimaverunt.

Sed ad clariora in Psalmis Graduum loca hic provocare possumus. Quis enim vel probabili ratione posset demonstrare Pf. CXXV. CXXVI. & CXXVII. ut alios taceam, non quadrare in tempora posteriorum Jacobi, qui & Israel vocatur?

Pf. CXXV. respicit illa tempora quibus firmæ stabant res Israelitarum, qualia vivebat Populus inde ab ultimis diebus Davidis Regis, qui devictis & partim subjugatis hostibus suis quietem fidam paravit. Pf. CXXVI. loquuntur fideles ex X. Tribubus, qui Judæis quibusdam ex Captivitate Babylonica in Canaanem reductis, liberationem quoque suam anhelantes,

tes, à Deo illam flagitabant. Et quis negare possit Pf. CXXVII, qui Salomonem Authorem agnoscit, aurea illa regis hujus felicissimi tempora respicere?

Quid vero in hoc Psalmo occurrit, quod de populo Israelitico, a Sapientissimo Rege suo tot bonis aucto, dici non possit? Inde autem simul sole meridiano clarius pater, ordinem temporum a Collectore Psalmorum, qui Graduum appellantur, minime observatum esse, ut doctissimus tamen putabat LAMPIUS.

Alerum argumentum, quo pro sua utitur sententia vir Eruditissimus, petitum est a locis quibusdam Psalmi nostri, qui secundum ejus opinionem sensum minus commodum fundunt, si de antiquis temporibus sumantur.

Sic provocat ille ad verba ultima Psalmi, quæ ab ipso COCCEJO de bonis N. T. intelliguntur, id quod veteres etiam statuerunt.

Unde Syrus hunc Psalmum non solum orationem Davidis, sed etiam revelationem Christi dicit. Inde autem ita „concludit: „Jam vero nulla causa est, cur ultima verba à primis sejungamus.„ Sed cum hæc argumenti hujus pars, relationem habeat ad verba, quæ imprimis hac dissertatione nostra explicamus, in genere hic tantummodo dicimus, argumenta nobis suppetere, quibus demonstrari possit COCCEJUM hic deferendum, & verba illa ultima de Filio Davidis Salomone explicanda esse.

Pergit vir celeberrimus ad versum 13. 14. 15. ubi de Zione agitur, quam Deus requiem suam in perpetuum nominat, & benedictiones spirituales ei promittit.

Quod ad primum attinet, negari non potest satis efficaciter Deum de perpetua requie sua loqui v. 14. **זאת מנוחת ער** hæc est requies mea in æternum. Si observatio MAIMONIDIS in *More Nevochim*, quem citat quoque LEIGH in *Critica Sacra*, de voce **ער** firmo niteretur fundamento, in partes celeberrimi LAMPPII transire nulli dubitarem: ait ille; „nusquam de annis aliquot usurpatur.„ Sed Seculum vel æternitatem significat gnolam: non ne-

B 3

„casta-

17
19 27
2026
215
22
23
24

„cessarie significat æternitatem, nisi conjugatur ei hæc vox,
„scilicet ער, idque vel post eam vel ante.”

Sed nisi me omnia fallunt, certis quibusdam S. S. locis in eum errorem inductus est Hæbræorum Magister, ut crederet vocem ער semper æternitatem denotare.

Extant enim Sacris in paginis loca, quibus constantem quidem, sed certis limitibus circumscriptam durationem significat.

Sic usurpatur de tempore, quo terra basibus suis fundata, immota stabit: „Fundavit terram super basibus ejus, ut non dimoveatur in æternum, & perpetuum וער עולם Pf. CIV. v. 5.” Et si vis locum, quo tempora indiget longe arctiora, usurpatur illud ער de diebus vitæ humanæ Pf. CXLV. v. 2. ubi David ardentia hæc vota concipit: „omni die benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in æternum & perpetuum וער עולם.” Conf. FESSELIUS in Advers. Sac. de voce עולם.

Hic David vult significare se semper Deo suo, quoad vitalem auram sit spiraturus, benedicturum esse, ita ut וער עולם hic totum vitæ curriculum, nulla nec ultima ejus excepta parte, ostendat.

Quando raque Deus in Psalmo nostro citato v. 14. testatur Zionem requiem suam fore לער, illud de omni tempore illo, quo Deus in medio populi sui post fata Davidis habitare constituit, optime potest explicari, & ita accipi, Zionem solam semper fore requiem ipsius. Si hoc concedatur, ex allegatis de Zione verbis argumentum formari non potest, quo demonstretur Zionem hic intelligendam esse Spiritualem, cum Deus post dicta Davidis tempora nulli nisi super Zione requiem suam habuerit.

Sed quo pacto ex promissionibus Spiritualibus, Zioni factis inferri potest, hic de Ecclesia V. T. non agi? An ergo omnibus fideles Fœderis antiqui, donis spiritualibus fuerunt destituti? An Sacerdotes pane nunquam saturati, an nunquam salute vestiti sunt?

Sed ut dicam quod res est, prius debuisset demonstrari,
hic

hic benedictiones promitti Spirituales, quam concluderetur hic agi de Ecclesia N. T. Nos sumus persuasissimi ejusmodi hic contineri promissa quæ secundum literam optime possunt explicari, imo accipi debent, ut ex sequentibus patebit.

Pergit vir doctissimus ad v. 18. vel potius v. 17. qui de alio quam Davide mystico non est intelligendus, unde hanc „conclusionem elicit, „quidni igitur de tabernaculis etiam „spiritualibus cogitemus? v. 5. 7.“

Sed cum illud nullis idoneis demonstratur argumentis, & nos postea contrarium simus ostensuri, hoc etiam, quod inde inferitur, admittere non possumus.

Sed mentio Tabernaculorum ut adjicitur, in plurali numero minus congruit Sanctuario unico V. T. Atqui vero si hoc valeret argumentum, inde quam clarissime sequeretur, ecclesiam N. T. hic quoque non posse intelligi, quippe illa non minus quam Sanctuarium illud vetus, unica est.

Notandum autem est Paulum Apostolum in uno Sanctuario Veteris Testamenti duas distinguere σκηνας. ΕΙΧΗ μὲν ἡ πρώτη σκηνὴ δικαιωμάτων πατρίδας Hebr. IX, 1. & v. 3. ait μετὰ δὲ τὸ δεύτερον κατὰ πετασμα σκηνὴ ἡ λεγομένη ἁγία ἁγίων.

Sic Pf. LXXXIV. v. 2. Tabernacula aut habitacula in plurali numero celebrantur, quod amoenissima sint, ubi etiam de Sanctuario Dei in Israele V. T. agitur.

Valde enim errarunt qui hunc Psalmum de Ecclesia meliorum temporum accipiendum esse existimarunt, ut pluribus demonstrare aggressus est Celeberr. NONNENIUS in Dissert. eleganti de Zippor & Deror ad explicandum verbum dicti Psalmi quartum.

Quod porro dicit vir Doctissimus difficile est in Historia Davidis, quoad literam ostendere vortum illud v. 3. & 4. „Si intrabo in tentorium domus meæ. Si ascendam in „spondam stratorum meorum &c.“ illud ipsius minime juvare potest sententiam.

Licet enim hæc totidem verbis in historia Davidis non inveniamus, sufficiet tamen si regem huic iis in circumstantiis

17
19 27
2026
215
22
23
24

stantiis Lectori benevolo ob oculos ponere queamus, quibus permoveri potuit ut in verba ejusmodi erumperet, quod postea tentaturi sumus.

Tandem addit eruditissimus LAMPIUS, „neque facile conciliari possunt verba v. 5. 7. 8. accedamus ad Tabernaculæ ejus. Resurge Jehoyah ad locum quietis tuæ.“ Sed respondemus, licet haud facile illud sit, non tamen impossibile esse, cum neque Tabernacula illa quæ in Silunte, neque illa quæ in Zione erant, ut putabat LAMPIUS, hic possint intelligi.

§. VI.

Sic vides benevole Lector, quibus rationibus sumus impulsus ut summo Interprete Sacrarum Literarum deserto hic in aliam transiremus sententiam. In ea autem nos sumus Hæresi vaticinia & Psalmorum volumina, quæ Israelitarum genti tradebantur, de mutationibus eorum, deque prospera & adversa fortuna debere exponi, si illud possit fieri. Quid enim facilius est quam cogitare res illius populi, cui Sacra Scriptura primum est concessa, imprimis in ea pertractari?

Hic facem nobis prætulērunt viri magni in Ecclesia Christiana nominis, & præcipue optimus Interpretum Vaticiniorum Jesaïæ *Vitringa* in Præfat. ad Comment. in hunc Prophetam. Cel. IKENIUS in Pf. XLVI. & supra jam laudatus Cel. NONNENIUS in Diff. de Zippor & Deror.

Nemo idcirco facile ægre tulerit, si tanta secuti lumina in Psalmo nostro ejusmodi res quænaverimus, quæ sensu primario, & secundum præcipuum sacri vatis scopum, stante antiquo scedere contigerunt.

Neque vero hæc plane nova est sententia, cum plures jam ante nos eandem de Psalmo nostro foverint opinionem, ut inter alia in POLI *Synopsi Criticorum* videri potest. Inter recentiores nuper ad nostram mentem, Cl. CRINSO in *Psalmorum translatione* ad hunc scribit, *Salomon voulant consacrer le Temple, qu'il avoit fait bâtir, prie Dieu, de vouloir*

en faire désormais, comme le lieu fixe de sa demeure, en considération de David son Pere, qui n'avoit rien eu plus a coeur que les interets de la Religion, & dont la vie avoit néanmoins été pleine de traverses.

¶ Jis autem, ne plures, easque minoris momenti sententias afferamus, assentiri nulli dubitamus, qui statuunt Psalmum ad hunc usum esse scriptum, ut regnante Salomone, cum arca Templum inferretur, decantari imprimis poterit, quos inter DE MUIS præcipue nominari meretur.

§. VII.

Ut autem hunc Psalmi nostri scopum extra omnem dubitationis aleam ponamus, sequentia demonstrare apud animum nobis proposuimus. I. Davidem regem Israelitarum ejusmodi juramento apte potuisse uti, quale proponitur v. 2-5. eique verba versus sexti commode tribui posse. II. Hæc Davidis, ut & reliqua verba sensu si proprio accipiuntur, dicto tempori inaugurationis Templi Salomonei omni modo fuisse adaptata.

§. VIII.

Quod ad prius attinet, errant sine dubio Interpretes, dum verba Davidis ex historia Regis hujus, quæ 2. Sam. VII. v. 1. seq. asservatur, illustrare quæsierunt; ubi refertur, Davidem Nathani Prophetæ mentem suam de ædificanda Deo æde palam fecisse, Deum autem Regi per Nathanem aperuisse, non ipsum, sed filium ejus, nomini suo domum esse ædificaturum. Si Juramentum Davidis de hac æde divina, quam Deus ei exstruere non permisit, esset intelligendum, negari nullo pacto posset, illud valde fuisse temerarium.

Atque ita illud hic minus recte argumenti loco esset adhibendum, ut *Deus Davidis, & omnium passionum ejus memor esse velit.*

C

Verum

17
19 27
20 26
21 5
22
23
24

Verum quoque est Davidem tunc temporis domum incoluisse cedrinam, ut dicere non potuerit: *Si intravero intra Tentorium Domus meæ &c.* v. 3. Rex ille pius alia vixit tempora, quibus ejusmodi juramento apte uti potuit, velut cuivis, qui res ejus gestas cognitatas habet, facile erit judicare.

Ea autem tempora fluxerunt Regi post mortem Saulis, postquam a principibus Juda unctus esset, ut regia potestate domum Juda gubernaret 2. Sam. II. Fieri enim potuit, ut statim post acceptam unctionem hæc conciperet vota, juramentoque confirmaret, quæ citatis Psalmi nostri verbis continentur.

Hoc ut credamus sequentibus inducti sumus observationibus, quæ attenta verborum alias difficiliorum perferutatione, nobis accreverunt

I. Certissimum est, si quid aliud, Davidem verba illa prolocutum esse, cum Israel ei nondum subiectus esset, sed adhuc autoritate Abneris fortissimi Ducis, domum Saulis sequeretur.

Patet hoc quam clarissime ex appellatione *Dei Fortis Jacobi* v. 2. & 5. Notandum enim est per *Jacobum* tribum *Juda*, per *Israelem* reliquas tribus in S. S. jam regnante Davide intelligi debere. Sic in historia ipsa X. tribus appellantur *Israel* 2. Sam. III. v. 17. & tribus *Israel* cap. V. v. 1. Deus *Jacobi* Pf. LXXXIV. v. 9. idem est ac si dixisset divinus Vates *Deus Juda*. Et si vis locum, qui sententiam nostram de significatione quam voci *Jacobi* tribuimus, ab omni contradictione liberet, invenies illum Michæ II. v. 5. *o dicta domus Jacobi, num brevis factus est Spiritus Jehovæ?* Hic autem Tribum *Juda* intelligendam esse, patet ex collatione v. 12. ubi *Juda* nomine *Jacobi* distinguitur à X. Tribubus qui *Israelis* nomine insigniuntur.

Quando ergo David Deum suum *Fortem Jacobi* appellat, eo haud obscure indigitat se solum tribui *Juda* tunc temporis præfuisse, quippe quod illi occasionem præbere poterat, Deum tanquam talem considerare.

II. Accedit, illo ipso tempore Davidi tentoria domus optime tribui posse, cum adhuc Hebrone, & modo paucis annis versaretur; nec ibi fixum, omnesque dies vitæ suæ duraturum domicilium haberet.

III. Et quidni Davidi Regi, qui erat secundum cor Dei, ejusmodi vota possimus tribuere, si modo de illis verum nobis conceptum formemus? Scilicet Davidem hic jurasse, se non prius ullam in tentoriis suis quietem esse quæsiturum, quam ardentibus a Deo precibus petiisset, ut sibi locum ostenderet, quo arcam fœderis ad sese posset recipere. Cum enim Hierosolymam sequentibus temporibus arcam transtulerit, ponendum est Deum ei illud permisisse; qua de re observamus, nihil de hac permissione Davidi facta in historia ejus relatam legi. Sed & fortiter inde concludi posse nemo negabit, Davidem potuisse vota de quærendo arcæ fœderis loco proferre, licet in Sacris litteris nihil de illis memoriæ sit proditum.

IV. Quare autem David arcæ divinæ tanto studio quæsiverit locum, illud nobis ipse videtur manifestare, quando v. 6. ait: *ecce audivimus de illa in Ephrata, invenimus eam in campis Jearim.* Licet Rex Jacobi non expressis verbis dicat, quid illud sit de quo audiverint, quidve invenerint, facile tamen illud ex nexu colligi potest, nihil aliud nisi arcam esse. Quando enim dixerat se Jehovah quæsiturum esse locum, idem erat ac si illud de area pronuntiasset. De illa igitur ipse, aliique audiverant in Ephrata, invenerant illam in agris Jahar.

Optime hic per Ephrata urbs Davidis Bethlehem intelligitur, quæ eo venit nomine Mich. V. v. 1. ut inter nos pueris notum est; de arca autem David cum aliis audiverat, quantam stragem inter Philistæos & Bethsemitas fecerit, quantamve Deus per illam virium magnitudinem, & Deitatis suæ majestatem ostenderit 1. Sam. V. & VI. Inventa autem erat in agris Jahar. Quid autem melius per illos potest intelligi, quam agri qui circa urbem quæ Kiriath Jearim audit erant siti, cum Bethsemitæ ob visam temere arcam

17
19 27
20 26
21 5
22
23
24

Jehovah male mulctati, miserint legatos ad incolás Kiriath Jearim, ut deducerent ad sese arcam fœderis à Philistæis remissam.

Si enim obscuriora Sacræ Scripturæ loca ex Annalibus populi Dei illustrari debent; nihil sane in iis memoratum invenietur, quod majorem loco huic alias satis obscuro, lucem scenerari queat. Certum enim est ex Historia populi Israelitici, arcam à Philistæis remissam in agrum esse delatum, illum autem cum reliquis adjacentibus prope a Kiriath Jearim abfuisse conf. 1. Sam. VI. v. 14. & 21. Quid autem facilius est, quam inde inferre agros illos æque ac urbem a קריית יואב nomen suum esse sortitos?

Si verba hæc ita accipias, David Rex Jacobi vult indignare, se omnem fiduciam suam Deo Jehovah, qui maxima patravertit facinora, innixam tenere, & propterea desiderare, ut firmam arcæ fœderis sedem invenire queat: Apparet quam commode David iis quas diximus obseptus rerum circumstantiis, verbis hisce uti potuerit.

Sic prius illud, quod nobis incumbemat, demonstratum dedimus; nunc pergimus ad reliqua, tentaturi an quod de iis promissimus, præstare queamus? Scilicet ostendendum porro verba Davidis & reliqua in Psalmo si sensu proprio accipiantur, tempori inaugurationis Templi belle conspiciantur.

Sequemur hic ordinem rerum in carmine ipso, secundum quem illæ oculis nostris subjiciuntur.

Ita inquit Vates Sanctus, *memento Davidi omnes labores ejus, qui juravit &c.* Notum est Deum Davidi, qui secundum cor ipsius erat, maxima fecisse promissa, quæ felicitatem populi Israelitici conjunctam sibi haberent: Præterea omnia quoque prospera a Deo Salomonis templum inhabitaturo expectare ille poterat. Quid igitur aptius erat tempore inaugurationis templi, quam ut preces has ad Deum suum dirigeret, ut memor esse velit omnium laborum Davidis, quo scilicet promissa ei facta persolvens remunerationem ipsi daret? Quid aptius erat eodem tempore, quam Davi-

Davidis fiducia in Deo suo posita, quam simul cum studio suo circa arcam Fœderis palam fecerat, argumenti loco coram summo numine uti? *Quando pergit vates noster: intrabimus in habitacula ejus: incurvabimus scabello pedum ejus v. 7.* ira mentem expromit suam ut supervacaneum esset ullum verbum addere, ad demonstrandum hæc dicto inaugurationis Templi die commode dici potuisse. Adhunc enim finem ædes Deo Israelis Sacra exstructa erat, ut populus Deum suum Sacrificiis oblati, fufisque humiliter precibus quæreret. Pedem itaque proferamus ad alia, inter quæ primo loco se nobis offerunt preces hæc maxime memorabiles: *Surge Jehovab ad requiem tuam, tu & arca Fortitudinis tue. Sacerdotes tui induantur justitia, & Sancti tui jubilent v. 8. 9.* Cum hæc verba fere eadem sint cum iis, quibus Salomo ipso die inaugurationis templi usus est, exigua enim tantummodo intercedit, differentia, quæ sensum nihil mutat, illud sententiæ nostræ maximum momentum affert. Si enim reliquæ Psalms partes, nullum aliud requirunt tempus, inde per se sequitur, citara hæc verba designato tempore fuisse accommodata. Quenam autem ratio sit quare addatur propter Davidem servum tuum, ne avertas facies uncti tui scilicet Salomonis, ex observationibus nostris supra datis patebit. Illud autem adhuc magis confirmatur juramento divino quod v. 11. 12. additur. Si nunc conferas hæc cum omnibus, quæ de Zione & coram Davidis ad finem usque Psalms proferuntur, vel me non monente, videbis hæc commode dici potuisse sensu proprio, cum templum Salomoneum inauguraretur.

Hoc enim tempore ostendebat Deus se Zionem elegisse, & in sedem sibi desiderasse, cum arca in templum transferretur, ut ibi maneret v. 12. 13. Hoc tempore Deus annuæ benedicendo benedicebat, & ipsi egeni pane satiebantur, cum Israel omni rerum copia abundaret, ita ut postea nunquam feliciori fortuna usus sit.

Tunc temporis Sacerdotes salute induebantur, dum signa salutis

salutis Israel per Davidem & Salomonem concessæ in viis suis, & attributis præ se ferebant. Eodem quoque die Sancti Levitæ, jubilando jubilabant, ut ex hoc ipso videre est Psalmo, & diserte asseritur in historia inaugurationis templi 2. Chron. V. v. 12. 13. Iisdem sane diebus vidit Israel in Salomone germinans Davidi cornu, & dispositam uncto Dei lucernam, cujus hostes, si ulli alii, pudore sunt induri; super illo autem ipsius corona floruit.

Quod autem cornu illud attinet, de illo in sequentibus nobis propius differendum est, demonstrandumque illud sensu proximo & secundum Psalmi scopum intento, nulum alium quam Salomonem denotare posse.

Sic autem simul apparet Psalmum hunc lætitiæ festi Tabernaculorum augere potuisse, cum ille Israelitis ob oculos poneret quantis beneficiis populus Dei secundum promissâ & juramentum ejus sit auctus.

§. IX.

Omnibus igitur quæ hic sunt conjuncta, attentam mente perpensis, non possumus non assurgere iis, qui statuunt hunc Psalmum eum in finem compositum esse, ut eo ipso tempore, cum Templum Salomonis dedicaretur, decantari potuerit. Inter illos, qui pro hac sibi standum esse putarunt sententia, præcipuus est magnus ille Sacrarum Litterarum Interpres HUGO GROTIUS, qui licet non ubique, multis tamen in locis veritatis lucem vidit. Omnia sane nobis, quæ hic proponuntur, ad dictum scopum collimare videntur, quod ulterius illustrare, atque argumentis idoneis confirmare, officium nunc requirit nostrum. Nolumus iterum monere, quod supra jam ostendimus, verba versus octavi noni & decimi optime huc quadrare; nunc modo demonstrandum est, reliquas omnes partes eodem tendere. Fundamenti loco hic nobis possunt esse preces, quas Rex Israelis Sapientissimus Salomon, cum Templum sub auspicio suo exstructum Deo sanctificaret, desiderio omni-
genæ

genæ felicitatis populi sui ardens, effudit. Memoriae illas sempiternæ prodidit Scriptor secundi libri Chronicorum cap. VI.

Salomon eandem rem in precibus hisce tanquam basin salutis, quam Vates Sanctus in Psalmo nostro, considerat dicens: *nunc ergo o Jehovab Deus Israelis, serva servo Tuo Davidi Patri meo quod locutus es dicendo: non excindetur tibi Vir coram me sedens super throno Israelis; si modo custodiverint filii tui viam suam ambulando in lege mea, sicut ambulasti coram me. Jam itaque o Jehovab Deus Israelis, firmum fiat verbum tuum, quod locutus es servo tuo Davidi* v. 16. 17.

Hæc fere eadem sunt cum iis quæ Deo proposita invenimus in Psalmo nostro, & ad eundem scopum directæ: *memento Jehovab Davidi omnes labores ejus, qui juravit Jehovæ &c. v. 1.* Tempori quoque dedicationis templi firmæ sedis Dei inter Israelitas, aptissimum erat argumentum a jure jurando & voto Davidis sumtum: *Si intravero intrentorium domus meæ: Si ascendero super spondam strati mei: Si dedero somnum oculis meis; palpebris meis dormitationem: usque dum invenero locum Jehovæ, habitacula forti Jacobi* v. 3-5. Nihil etiam lætissimo huic diei, quo arca roboris Dei templo inferebatur magis poterat esse accommodatum quam populo miracula, quæ per arcam haud longo elapso tempore erant patrata, in memoriâ revocare, quemadmodum hisce factum est verbis: *ecce audivimus de eo in Ephrata; invenimus eam in agris Silvæ five Jahar* v. 6.

Pergit Vates: *intrabimus in Habitacula ejus, incurvabimus nos scabello pedum ejus* v. 7. & quid aptius dici poterat, cum populus templum tanquam palatium Deo suo sacrum eapropter videret, ut & ipse possit eo intrare, & sese ad pedes ejus prosternere.

Sequuntur verba illa v. 8. 9. 10. de quibus antea jam monuimus, quod adeo clare cum circumstantiis notati temporis conspirent, ut nihil possit esse supra, quare super vacaneum foret quicquam de iis addere.

Quid

Quid magis eodem die spem Israelis confirmare, & lætitiā ejus augere poterat, quam illa, quæ de Juramento Dei, quo promissionibus suis de semine Davidis fidem fecerat, quæ de electione Zionis in sedem suam firmam, quæ de promissionibus Dei Zionis factis tandem adjiciuntur v. 11. 18. Nec obstat quod Psalmo usum in festo Tabernaculorum assignaverimus. Templi enim Salomonis inauguratio incidebat in illo festo, in festo nempe celebri mensis septimi ut dicitur 1. Reg. VIII. 2. & 2. Paral. V. 3. id est in festo tabernaculorum. Quidni illo quotannis recurrente, memoria tam illustris facti, ac quidem erat templi inauguratio, in eo potuit recoli.

Ex hisce observationibus simul patet, Vatem quendam Sacrum a Spiritu Sancto impulsū, Israelī voluisse præire precibus, dedicationi ædis divinæ accommodatis, nec non debitam summi Numinis reverentiam, certam spem promissæ gratiæ Dei, & insignem lætitiā festo illo die excitare.

§. X.

Mirum sane artificiumprehendimus in carmine ipso, quod compositione elegantissimum & argumentorum pondere gravissimum est, ut omnes, qui illud rite perlustraverint, eo non possint non commoveri.

I. Primo loco veniunt preces, quibus Deum supplices orant fideles, qui hic tanquam loquentes debent considerari, ut velit Davidi nunc quoque remunerationem dare pro omnibus quos sustulit laboribus, quod urgetur juramento, votoque regis hujus, quod in honorem Jehovæ conceperat v. 1. 2.

II. Ut autem ad colendum rite Deum suum in fiducia ab omni dubitatione liberata, excitarentur fideles animo ipsorum consideranda subjicit Vates miracula, quæ olim inter Philistæos manifestissimum argumentum fuerant arcam fœderis Deo summo & vivo sacram esse: ad dirque quanta ipsis gratia exstructo templo concessa sit, dum ibi ad Deum suum sunt accessuri v. 6. 7.

III.

III. Adjungit rursus preces, quæ ad scopum diei inaugurationis Templi proxime faciebant, ut Deus cum arca sua Templum velit occupare, & servos suos Sacerdotes ornare v. 8-10.

IV. Hic sane a Deo petunt Israelitæ res maximi momenti, quas impetrare poterant, si illas in fide ritè quaerent; propterea proponit Vates promissiones divinas juramento confirmatas, & fidelitatem Dei, unde certi esse possent, Deum omnia præstiturum esse, quæ pollicitus erat v. 11-18.

Duplices autem hic inveniuntur promissiones quæ, si a Deo implerentur, felicitatem populi Israelitici confirmare & augere poterant. Prior erat de Filiis Davidis, Patri suo in regno certa sub conditione successuris v. 11. 12. *Juravit Jehovab Davidi veritatem, a qua se non subducet; de fructu ventris tui ponam super Thronum tibi; si custodiverint filii tui fœdus meum, & testimonium meum, quod docebo eos; etiam filii eorum in æternum sedebunt super throno tibi.* Promissio hæc confirmatur, quando additur, Deum Zionem elegisse in æternum, & etiam sibi in sedem desiderasse; ejusmodi verbis usum, quæ fidem faciebant Israelem ad felicissimum rerum statum evehendum esse. De electione Zionis in sedem divinam in genere agitur v. 13. 14. Adjectæ autem erant optatissimæ a Deo promissiones, quas invenimus v. 15-18. Duplicis illæ sunt generis; cum priores populum & imprimis Sacerdotes v. 15. 16. posteriores vero Filium aliquem Davidis v. 16. 17. 18. concernant.

Sic verba illa v. 17. quæ claram in lucem protrahere imprimis fert animus, promittunt Davidi Filium, qui ipsi in Zione esset successurus, quique prospera utens fortuna, permagnam nancisceretur potentiam atque gloriam. Adjicitur in fine Psalmi v. 18. illum subjectis sibi hostibus, regnum suum felicissime esse administraturum.

PARS SECUNDA.

§. I.

Sic satis apparet sententiam quam fovemus, de excitando Davidi cornu, differre ab explicatione plurium S. S. Interpretum, quorum auctoritatem multi secuti sunt. Videntur illi ad id permoti esse verbis Zachariæ Sacerdotis, qui de Christo gloriatur, quod Deus eum suscitaverit tanquam cornu Salutis, in domo servi sui Davidis Luc. I. v. 69.

Cum argumentum hoc magnam veritatis speciem præ se ferat, illud non possumus non diluere, ut in explicatione Psalmi nostri verborum inoffenso pede progredi queamus. Omnis autem vis argumenti hujus inconvenientia quadam verborum tam vatis nostri, quam Zachariæ est posita, quæ tamen ita comparata est, ut nos in partem contrariam retrahere minus valeat.

Si enim Christus secundum omnem emphasin cornu Domus Davidis potest appellari, quis inde concluderet, nullum alium filiorum Davidis sensu debiliori ita appellari potuisse? Si quis hoc asserere vellet, deberet simul statuere, neminem alium nisi Christum nomine Cornu appellari, cuius tamen contrarium in sequentibus ostensuri sumus. Quando autem negari non potest, cornua in S. S. etiam Regum terrenorum esse Symbola, simul concedendum est, de quodam Filio Davidis dici posse, Deum illum Davidi tanquam Cornu esse excitaturum.

Præterea duo hic observanda sunt, ex quibus patet, Zachariam Sacerdotem aliud cornu, aliud autem Vatem Psalmi nostri authorem intendisse. Zacharias suum appellat cornu Salutis, noster sermonem facit de cornu absque adjecto Salutis aut simili alio titulo. Quis igitur non videt insignem in verbis hisce differentiam, cum Zacharias longe efficacius loquatur, & satis aperte ostendat se non Psalmum nostrum, sed alia potius Veteris Testamenti loca respexisse?

Præ-

Præterea quis crederet Vatem quendam inflatu Spiritus Sancti futura prænunciantem, ita voluisse de magno Servatore mentionem facere, ut verba ejus commode de alio Davidis quoque Filio possint accipi? Cuius enim, qui volumina Prophetarum assiduo studio pervolvit, patebit, illos semper Summo Servatori, quando de eo vaticinantur, singulare aliquid tribuere, quod eum ab omnibus aliis discernit hominibus.

Adjici denique potest, verba vatis nostri aliquid continere, quod in Persona Christi longe alio modo cernitur; scilicet quando dixit, Deus se Zione Davidi cornu esse excitaturum, indigitat inter alia locum ortus ejus Zionem fore, quod de Christo affirmari minus potest. Accedit quod Christus, qui tanquam Stella, imo tanquam Sol & Lux mundi in Sacro Codice consideratur, minus commode sub Symbolo Lucernæ proponi videatur.

§. II.

Ad pleniorem autem verborum nostrorum illustrationem faciet, si ostendamus quisnam in Filiis Davidis, hic a Summo Numine intelligatur, de quo tanta promittere voluerit. Intelligitur hic, nisi me omnia fallunt, felicissima Davidis progenies, Successor ejus in regno, Rex inter omnes sapientia & potentia clarissimus Salomon.

Si quis promissionem divinam secundum nexum supra visum perpendere velit, nobis sane assensum suum præbere non dubitabit. Illo enim tempore quo verba Dei de Electione Zionis executioni sunt data, Salomon certe tanquam cornu erigi, & instar Lucernæ splendescere coepit.

§. III.

Ut hoc eo clarius pateat, sensum verborum quibus Deus gratiam suam Davidi & filio ejus exhibendam expressit paucis, quantum necesse erit illustrare, & deinde, quæ illis
D 2 expri-

exprimuntur laudato Regi applicare, apud animum constituimus.

Cornu, quod hic loci primum se nobis conspiciendum præbet, Symbolum est quod non a Columna Nubis & Ignis, ut LAMPIUS existimavit, sed quod plerique afferunt Interpretes, ab animalibus cornigeris depromptum est. Licet concedi possit, quod in medio relinquimus, aliis in locis Sacræ Scripturæ, ubi hoc Symbolum adhibetur, ad dictam alludi Columnam; certissimum est tamen, Deum in hisce verbis suis eo non respexisse.

Hoc enim non patitur promissio divina: *ibi Zione scil. erigam vel germinare faciam Davidi cornu.* Poterat hoc nullo pacto de columna Nubis & Ignis, commode autem de cornu animalium affirmari, quare facile inde, si quid video, colligi potest Symbolum, quod hic habemus, ad posterius referri debere. Actum agerem, si id prolixè evincere, cum maxime ostendere tentarem columnam nubis non erectam esse aut germinasse, postquam id satis egit Celeb. Theologus Heidelbergensis, CHR. BRUNINGS in *diff. Inaugur. de cornu Salutis Cap. II.*

Eodem argumento uti possumus contra Virum alias doctissimum STEPHANUM LE MOYNE, qui verba nostra de Messia interpretatus, cornu illud significatione gloriæ accepit, dicens: קרן *ibi, scil. loco nostro sumitur de Luce, sicut cum de Mose dicitur, quod illius facies erat cornuta, hoc est intelligendum de splendore & radiis; quibus Mosi Vultus coruscabat. Sed Deus alium Mosen se suscitaturum pollicetur, aliam gloriam, aliud קרן unde in eodem versu ἐξῆραντες, & וערכתי נר למשיחי לתוספת ביום additur & paravi lumen uncto meo, & illum constitui lumen mundi & Solem, ortu suo idololatriæ noctem, legis nebulas, prophetiarum tenebras & caliginem, umbras ceremoniarum fugentem & dispellentem vid. Dissert. ejus ad Jerem. XXIII. pag. 39.*

Quis non videret hanc explicationem Interpretis hujus in aliis acutissimi, minus hic loci accuratam esse, & longe rectius de cornu quam de splendore dici, quod progerminare
Deus

Deus illud faciat? neque ullam ob rationem negari potest, uberiorem longe esse sensum promissionis divinæ, si Symbola cornu & lucernæ hic distinguantur tanquam talia, quæ diversas res adumbrent.

Sic satis evictum dedimus ad animalia hic respici, quando de cornu mentio injicitur. Et symbolum hoc aptissimum est ad rem præsentem, cum oculis nostris quasi in tabula depictum, - Objiciat Salomonem Regem insigni valentem potentia, & magna gloria splendidum.

Sic cornua alias quoque Emblema sunt potentiaæ atque gloriaæ & imprimis Regiaæ, quod ostenderunt inter alios Clar. DEYLINGIUS Observ. Sac. P. III. pag. 84. seq. ZORNIUS Bibl. Antiq. Exeg. T. I. pag. 109. seq. SNEIDERUS in Lexico Bibl. & RUIMIG Emblem. Sac.

Quemadmodum & cornua Fluviorum robur, & obstinationem gentium, quæ Fluminibus accolunt, interdum significant vid. BARTH. Advers. Lib. 55. cap. 17.

Verum enimvero observandum est, hic non de cornibus numero plurali, quæ gloriam viresque magni regis adumbrent, sed de cornu unico mentionem fieri. Inde nobis valde veri fit simile a Sancto Poeta ad animalia imprimis unicornia alludi, & inde verba ejus præcipuam lucem suam posse scenerari. Ejusmodi animalia sunt, quæ Hebræis **קַרְנָיִם**, atque Græcis *μονοκεφες* appellantur.

Quid Hebræi olim per **קַרְנָיִם** intellexerint, inter Eruditos disceptatum est, cum tot Secula quæ, nos inter atque illos, qui voce hac sunt usi intercedunt, illud dubium fecerint.

Interea loci haud abs re nostra erit, illud adhibita aliqua mentis attentione perscrutari. Longum autem foret, omnes hic Eruditorum sententias colligere atque examinare, id quod etiam supervacaneum foret, cum jam alii ante nos hanc rem egerint, interque illos JOH. MICH. HENNIUS *Dissert. de animali Reem* Witteb. 1711. habita. Sufficiet si

17
19 27
20 26
215
22
23
24

ea quæ sententiæ nostræ sunt contraria labefactemus, eademque opera illam corroboremus.

Non possumus autem non רָאָה eodem sensu accipere, quo Veteres, eique non omni ingenio atque eruditione destituti Interpretes, quando per illud monocerotem intellexerunt. Sic Septuaginta Seniores, quos, Eruditi ævo nostro florentes, Alexandrinos potius interpretes amant appellare, רָאָה reddunt $\mu\omicron\nu\omicron\kappa\epsilon\rho\omicron\varsigma$. Secuti hos sunt alii celeberrimi nominis Interpretes, ut verba Kimchii & Aquinatis rectissime a BOCHARTO de monocerote sunt explicata. Ille dicit in Lexico $\text{אֵין לְרָאָה אֵלָא קַרְן אַחַת}$ non est *Reem* (*monoceroti*) nisi cornu unum; hic autem $\text{מִן כְּהֵמָה שֶׁאֵין לָהּ כִּי אֶחָד וְחֻנְקָה מֵאֵד}$ *Feræ Species*, cui non est nisi unum cornu, quæve valde robusta. Versio quoque Arabica Saadiæ verit illud رَأَاه كركدن *Carcaddan monoceros* Deut. XXXIII. v. 17. quorum vestigia alii quoque magno numero ævi nostri Interpretes; premere nulli dubitavere, vid. BOCHARTI *Hierozoicon* P. I. lib. III. cap. XXVI. p. m. 950. & seq.

Vir autem hic incomparabilis dubiam hanc fecit sententiam, hisce usus contra eam argumentis. Primo loco demonstrare satagit; *merito nobis suspectum esse, quicquid Veteres & recentiores de Monocerote tradant, cum Poetæ in descriptione Sphingis, Chimææ aliorumque monstrorum multo magis sibi consent, quam authores qui de eo scripserunt pag. 951.*

Ultimum ad oculum ostendit Vir summus, ita ut de eo, quantum cernimus, nullus dubitandi relictus sit locus; sed quod pacto inde elici possit, merito nobis suspectum esse, quicquid de Monocerote memoriæ est traditum, non videmus. Sufficere enim ad confirmandam veritatem videtur, si duo tresve testes idonei, qui fidem merentur nostram consentiant, eodem modo rem aliquam describendo; neque iis per se esse potest contrarium, si quidam ab iis discessum faciant.

eiant. Si quis igitur ab ejusmodi diffensu argumenta petere firma velit, ipsi incumbet demonstrare, aut quosdam dissentientium, aut omnes illos a veritate aberravisse. Aliter si res se haberet, quod millia animalium, Regionum, urbium, e numero illorum, quæ vidit olim antiquus orbis, essent expungenda: Si discrepantia definitionum argumentum satis firmum præberet de existentia eorum dubitandi? Interea laudabili industria quæ de animalibus unicornibus ab antiquis & recentioribus dicta sunt, congescit G. C. KIRCHMAIER in *dissert. Zoolog. Ilda quæ est de unicornu.*

Adjungit quædam doctissimus BOCHARTUS, quibus definitionem quorundam Authorum, quam de monocerote dederunt, adhuc magis dubiam facere tentavit, quibus respondere dubitamus, cum quivis facile videat, qui illa consideret, nimium hac in parte illum hypothesi suæ inferuisse.

Pergit autem atque magna asserit fiducia, *dato tamen, non concessio, in aliquo INDIAE aut extremæ NUBIAE ANGULO, versus NILI fluvii Fontes latere monocerotem: saltem nemo est, qui non agnoscat id non potuisse Judæis esse compertum ante SALOMONIS tempora, qui TYRIORUM ope primus instructa classe in mari RUBRO INDIAM attentavit, & AFRICÆ remotiora, cætera p. 958.*

Confiteor me veritatis lumine compulsus longe aliter & hic sentire, cum dubitare nullo modo in animum inducere possim, Israelitas a gentibus, qui ante Salomonis tempora remotas, Orientalium terras navibus petiverunt, de monocerote aliisque rebus notitiam haurire potuisse.

Majorem autem veritatis speciem præ se ferunt, quæ congescit BOCHARTUS, ut demonstraret 𐤇𐤍 esse capræ genus, sc. capream bicornem aut Orygen pag. 962. seq.

Ante omnia observat ریم Rim apud Arabes denotare capream sinceræ albedinis; sed nondum extra omnem dubitationis aleam est positum, Arabicum illud ejusdem significationis cum Hebræa voce esse. Si enim ita esset, nullam videre

17
18
19 27
20 26
21 5
22
23
24

videre sufficientem rationem possum, quare in *Arabica Saadia* versione **רמ** non *Rim*, sed ut supra vidimus **ر ك د ن** *Carcaddan*, i. e. *Monoceros* sit redditum. At qui vero Hebræi ipsi **רמ** sensu capreae usi sunt, quam in rem testes citat Bochartus, Judæos, JONATHAN & ONKELOS nec non Glossatores TALMUDIS.

Quod priores illos duumviros attinet, de illis observat, quod **רמנין** *Ramanin* qua voce Jonathan, & **רמה** *Rema* qua *Onkelos* est usus, respondeat Hebræo **דישון** *dison* quod capreae genus denotet. Hoc inde infert, quod voces dictæ Deut. XIV. v. 5. **דישון** quod in textu Ebraico reperitur, apud Paraphrastas veniant. Sed ipse notat BOCHARTUS illas aliis in locis ad exprimendum **רמ** esse adhibitæ, & inde sequi existimat **רמ** esse quoque caprarum genus.

Nihil autem facilius est quam telum hoc confringere. Fieri enim potuit ut Chaldæorum **רמא** & **רמנין** duas usu sortirentur significationes, sive Paraphrastæ citati, affinitate soni sint inducti **רמ** per **רמה** & **רמנין** explicare. Et si vel maxime ex illorum paraphrasi tuto concludere liceret, quod Bocharto placuit, iis Interpretes Alexandrinos qui, ut supra monuimus, dubiam vocem nostram **μονοκερας** vertunt, opponere possumus.

Interea loci Glossatores Talmudis argumento Bochartum fortiori instruere videntur, cum **ארתילה** *Hinnulum* duabus vicibus **רמ** explicent *Bava Bathra* cap. 5. f. 73. & f. 74. b. Quod idem factum est in Tractatu *Zebachim* cap. 14. f. 113. b. Sed quis ex tenebris hisce Rabbinicis eam lucem poterit elicere, ut veritatem detegat, cum Judæi citatis locis nihil aliud agant, nisi ut Fabulam narrent.

Describitur ibi Hinnulus immanæ magnitudinis, si modo certum est Hinnulum **ארתילה** hoc significare, cum alii statuunt balænam, unicornem marinum per illud intelligi; de eoque narrat quidam: *Visus mihi est Hinnulus; filius diei sua, qui erat ut mons Thabor quam late patet quatuor parasangas Bava Bath. l. c. f. 73.* Concedamus Hinnulum

nulum hic אַרְוִילָא denotare, inde tamen tuto inferri non poterit, אַרְוִילָא esse quoddam caprearum genus.

Observandum enim est dari & Oryges, quos ad capreas quoque referunt, qui uno tantum cornu instructi sunt, ut ARISTOTELES & PLINIUS testantur. Fieri hinc potuit, ut Glossatores hoc אַרְוִילָא per אַרְוִילָא primo explicaverint, edocturi illud nomen in textu, significatione metaphorica sumendum esse, postea autem obliti sint אַרְוִילָא bestiam unicornem denotare.

Sed Glossatores tamen אַרְוִילָא suum in tractatus *Zebachim* locum citatum tanquam bestiam proponunt, quæ duo habuerit cornua, quippe diserte dicunt *וּמִטְנֵי קַרְנָיו קָשְׁרוּ לְרֵיבָה* & *duobus cornibus suis alligavit eum ad arcem*. Quæso autem quid ex fabula adeo absurda peti potest, ad demonstrandam bestię alicujus formam: Visionem sibi hic Rabbini tribuunt, quales olim Prophetarum fuerunt, quæ interdum res illas depingendis futuris inservire destinatas, non suis modo sed adjectis etiam alienis figuris, ipsorum oculis objiciebant.

Quando hi tenebrarum magistri suo אַרְוִילָא magnitudinem montis Thabor potuerunt affingere, quidni & unum ipsius cornu altero augere poterant, ut bestiam hanc eo firmitus arcę Noachi alligatam fuisse ostenderent? Ex duobus hisce saltem cornibus, monstrosę illius fabulosę bestię æque minus, ad verum אַרְוִילָא firma conclusio potest fieri, ac si quis ex visione Danielis inferre vellet, hircum esse animal quatuor cornibus ornatum.

Revocemus igitur hic in memoriam Versiones imprimis Alexandrinam & Arabicam, & videamus, an non potius earum Authores quam Judæos figmento suo, quod omni sale privatum est, nimis intentos sequi velimus?

Interpres sane Alexandrini, quorum Versionem in multis vel ipse magnus Justitię Magister Jesus Servator noster, ejusque Apostoli assensu suo approbaverunt, non merentur ut adeo abjecte de iis cogitemus, ut quidam fecerunt. Merito in partes JACOBI HASÆI doctissimi Viri, pedibus

E

eun-

17

19 27

20 26

21

22

23

24

eundem esse existimamus, qui dictam hanc Versionem defendere, haud infelici successu aggressus est in *Bibliotheca illa Bremensi*, quam Eruditissimus Frater ejus THEODORUS HASÆUS, præceptor olim noster, cujus memoriam perpetua veneratione colimus, adornavit.

Ne autem aliquid dissimulare videar, fatendum est, existare loca in Codice Sacro, quibus רַאֲנוּ duo cornua tribui videntur. Sic de Josepho Israelis Filio dicitur וְקַרְנֵי רַאֲנוּ , & cornua *Reem* sunt cornua ejus, Deut. XXX. v. 17. Sed cum tot alia extent loca, quæ רַאֲנוּ non nisi unicum cornu assignant, videre nullam possumus rationem, quæ nos vetat, enallagen numeri in voce רַאֲנוּ hic statueri. Notissimum est sæpissime ejusmodi in Sacris paginis enallagen in vocibus לֵב , פֶּה , aliisque occurrere, ut mari aquam inferre videretur, qui illud ulterius demonstrare veller.

Erravit autem BOCHARTUS quando illud וְקַרְנֵי רַאֲנוּ in duali numero, de duobus cornibus explicandum esse, existimavit. Quæ enim sequuntur pluralem potius suadent, quando adjicitur $\text{וְהָיָה רַאֲנוּ אֶפְרַיִם}$ & illa sc. *cornua sunt myriades Ephraim, & millia Manasse.*

Plura itaque, quam duo cornua רַאֲנוּ sunt danda, aut statuendum est, Scriptorem Sacrum singulari pro plurali numero esse usum, ut hic inde sensus exsurgat: Josepho sunt tot cornua, quot myriades in Ephraim, quot Millia in Manasse, & cornibus רַאֲנוּ æquiparanda. Alius quem citat locus BOCHARTUS Pl. XXII. v. 22. morari nos non potest, cum ille de רַאֲנוּ in plurali numero agat, & certissimum sit, plures monocerotes non unum, sed plura præferre cornua.

Sic veterum de רַאֲנוּ & monocerote sententiam, quam labefactare summus BOCHARTUS aggressus est, firmare annisi sumus. Quæ si robur retinet suum, Vatem sacrum oculos suos hic loci eo directos habuisse, nulli dubitamus. Litteræ enim Sacræ Symbolum hoc cum maxime usurpant,

runt, ad depingendam ingentem Regum gentiumque majestatem gloriam & potestatem. Præter citatum supra Deut. XXXIII. v. 17. videre illud est ex Pl. XCII. v. 11. Num. XXIII. v. 22. & cap. XXIV. v. 8. Qui plura desideraverit de Monocerore, adeat BARTHOLINUM in Observat. nov. de Unicornu.

§. IV.

Et nihil sane aptius cogitari potest ad ostendendum, quasi in imagine dictas regum prærogativas, quam cornu monocerotis, quod ex descriptione hujus animalis, quam apud veteres tam Sacros, quam profanos Auctores invenimus, ad oculus patebit. Hi delineant monocerotem tanquam animal, eximio præditum robore, quodve cornu satis longo, licet unico, præcipue valet, imo vinci uestium est. PLINIUS id conspiciendum præbet, tanquam *asperrimam feram, uno cornu nigro media fronte, cubitorum duum eminente.* SOLINUS quidem mensuram cornu illius majorem significavit dicens: *Cornu e media ejus fronte protenditur, splendore mirifico ad longitudinem pedum quatuor.*

Sed hoc nihil impedit quo minus utrisque fidem adhibeamus, cum fieri possit, ut feris hisce aliis brevior quam aliis crescat cornu. Sic fidem quoque meretur ÆLIANUS dicens: *κερας εχειν επι τε μετωπη οσον πηχεως το μεγαθος και ημισως προσετι, cornu in fronte habere sesquicubitale.* Et quemadmodum PLINIUS ait: *hanc feram vivam negant capi.* Sic ÆLIANUS quoque asserit: *ζωντα μεν εν τελειον εν αυ λαβοις, quod & CTESIAs alique suo confirmant testimonio.* Conspirant quoque cum iis Sacri Scriptores, dum suo **וְתַרְסֵם** maximas vires & invictum cum maxime in cornu robur tribuunt, in libro Jobi cap. XXXIX. v. 9. 10. dicitur: *Num volet Monoceros servire tibi? Num pernoctabit apud præsepe tuum? Num ligabis Monocerotem in sulco fune suo? Num occabit valles post te?* Pl. XCII. v. 11. **וְתַרְסֵם קַרְנֵי בְלוֹתַי בְּשֶׁמֶן רַעֲנָן**: *exaltabis autem sicut monocerotis cornu meum, confenescam in oleo viridi.* Imo maximum

17
19 27
20 26
21
22
23
24

mum Dei omnipotentis robur, (ut nobis saltē videntur Bileami verba intelligenda esse) invictis monocerotis viribus adumbratur. Num. XXIII. v. 22. — אֱלֹהֵינוּ מִצִּיּוֹן מִמְצִיּוֹתָם אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל כְּתוּעַת רֶאֱמָן Deū (est) qui eduxit eos ex Egypto, sicut robora unicornis ei (sunt). Ex his omnibus itaque patet, Regem in verbis nostris Davidi promissum esse, qui tantis valeret viribus, tamque insigni coruscaret majestate, ut hostibus terrorem incurere, populi autem sui, domusque suae, honorem & gloriam augere posset. Ideo adjicitur etiam ad declarandum propius quanta Davidi Deus, promiserit: Hostes ejus induam pudore, sed super ipso florebit corona ipsius v. 18.

§. V.

De cornu itaque hoc ait Deus. אֲנִי אֶעֱרָם קֶרֶן לְדָוִד. Ibi erigam, germinare faciam cornu Davidi. Non indigent verba haec tanta opera, ut illud קֶרֶן, cum per se satis clara sint, & facilem sensum fundant. Deus ter optimus maximus illis Regi, quo delectabatur spem creavit fore ut filius ipsi nasceretur, cui sceptrum suum coronamque relinquere posset. Imo benignissimum Numen, Davidem vult sperare, se prole ejus, Zione regaturae, maximum robur majestatemque esse additurum, atque vires usque aucturum, ut tanquam Rex invictissimus hostibus suis terribilis esset. Talia sane non sine summo numine fieri, quod omnia quae videt orbis, summa sapientia atque potentia gubernat, vel ipsi gentilium saniores satis clare viderunt Philosophi, & contrarium sentientes, haud contemnendis usi argumentis refutarunt. Hoc quasi in prooemio demonstrandum esse duxit CICERO, quando de legibus differere constituerat dicens: *Sit igitur hoc jam a principio persuasum civibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores Deos, eaque quae gerantur, eorum geri iudicio ac numine, eosdemque optime de genere hominum mereri, & qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate religiones colat, intueri, piorumque & impiorum habere rationem &c. vid. de Legibus L. 2. In sequentibus*

haec

hæc demonstrat, quemadmodum & in libris de Natura Deorum contra Epicuræos, qui providentiam omnem, nec non contra Stoicos asserentes: *magna Dii curant, parva negligunt*, disputat, quod idem quoque MINUCIUS FELIX in *Octavio* suo, aliique fecerunt.

Præcipue autem providentia Dei circa Regum potentiam augendam videri potest, ex vaticiniis ipsis atque promissionibus divinis, quibus ante declaravit quam illud eveniret, quibus viribus Reges, quave majestate essent induendi. Sic JOSEPHUS providam hanc curam Dei omnium rerum moderatoris, optime ex vaticiniis Danielis de Regno Persarum, Græcorum, deque Imperio Romano demonstravit; Post alia enim egregia hanc in rem allata, tandem addit: *τοῖς γὰρ προειρημένοις ὑπο Δανιηλὸς δοκεῖ μοι εὐφροδῆα τῆς ἀληθοῦς δόξης διαμαρτανεῖν, οἱ τὰ θεῶν μηδεμίαν εἶναι περὶ τῶν ἀνθρώπων ἀποφαινόμενοι προνοεῖν, ἔγὰρ ἂν κατὰ τὴν ἐκείνη προφητείαν εἰ συνέβαιεν αὐτοματισμῶ τινι τὸν κόσμον διαγεῖν, πάντα εὐφρομένως ἀποβαινόντα.* Εἶπα μὲν ἂν, περὶ τῶν ὡς εὐφροδῆα ἀνεγώνων, quæ vertente J. HUDSONO latine ita sonant: *cumque ista predicta fuerint a Daniele, videntur mihi a vera opinione multum aberrare, qui Deum non curare pronunciant, quid agat genus humanum. Non enim vaticiniis ejus eventus respondisse conspicerentur, si omnia in mundo temeritate regerentur, Et quidem ego, prout relatum legi, ita plane de istis scripsi,* Antiqu. Jud. Lib. X. cap. 11. pag. m. 545.

Deus itaque ο δυνατος de quo Virgo ἐξ οἴκου Δαβὶδ cecinit: *καθεῖλε δυνασας ἀπο θεσων καὶ ὑψωσε ταπεινας*, poterat solus efficere, ut Davidi cornu quoddam Zione germinaret Luc. II.

§. VI.

Auguet adhuc promissiones suas Davidi, benignissimum Numen, quando adjicit *נר למשיח ערכתי* *Disponam Lucernam uncto meo.* Regem hic a se electum, Deus unctum suum appellat, ostensurus quanto illum semper favore fuerit profecutus. Tribus etiam vicibus non sine nutu omnium gubernantis Dei unctum esse, ex Sacris annalibus constat.

17
1
19 22
20 26
215
22
23
24

In principio eum unxit Propheta Samuel jussu divino, post rejectum Saulem hac de re accepto. *Tum dixit Jehovab (cum Davidem Propheta vidisset) surge, unge eum, quia hic ille (est). Sumsit itaque Samuel cornu olei, unxitque eum in medio fratrum ejus: 1. Sam. XVI. v. 13.*

Sequentibus temporibus providentia summi Numinis effecit, ut primum a tribu Juda, dein etiam ab Israele in Regem ungeretur 2. Sam. II. v. 4. & cap. V. v. 3. Quare & Deus de eo testatus est; *inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum Ps. LXXXIX. v. 20.* Locus hic videtur quibusdam inter Eruditos ansam præbuisse cogitandi, Davidem eodem sancto oleo fuisse unctum, quo Sacerdotes inaugurabantur, quod tamen verbis Dei Exod. XXX. v. 32. ad-versa repugnat fronte. Oleum itaque regium a Sacerdotali diversum fuisse, dubitari nequit, & hoc non obstante, Sanctum potuit appellari. Ratio hujus appellationis, non adeo quaerenda est in loco illo Sancto, quo asservatum fuit hoc oleum, ut colligi potest ex 1. Reg. I. v. 39. scil. Tabernaculo; quæ Sententia fuit SCHACHI in *Myrothec. Lib. III. cap. 48. p. m. 1045.* quam & suam facit BUDDEUS *Histor. Eccles. V. T. Tom. I. Per. II. Sect. III. §. XXV. pag. 216.* Ut enim in Tabernaculo asservari posset, ad id necessario requirebatur, ut ante, quam inferretur in illud, sanctum esset.

Existimamus itaque Deum illud oleum sibi dicasse, ut nemo alius, nisi quem e domo Davidis populo suo regem prospexerit, eo perfunderetur, atque illud ideo Sanctum Dei oleum dictum fuisse. Quo autem neminem hoc lateret, sine dubio Deus jussit illud in Tabernaculo reponi.

Oleum illud Sanctum adumbravit egregia Spiritus Sancti dona, quæ illis concessit supremus rerum Arbitrator, per quos populum suum gubernare decrevit. Postquam enim David a Samuele unctus esset, *venit Spiritus Jehovab super eum; a die hoc & deinceps 1. Sam. XVI. v. 13.* Non autem possumus materiam hanc prius deserere, quam observaverimus laudatum supra SCHACHUM sententiam hanc inquam discessimus, ita urgere, ut Versioni Vulgatæ nonni-
hil

hil detrahat, & plus valoris textui Hebraico tribuat. Ita enim post alia ad confirmandam hanc sententiam allata, pergit: *cujus sententiae vis & energia mirum in modum illustratur ex Hebraica phrasi qua legimus: שמן משחה קורש יהיה זה לי* ist est OLEUM UNCTIONIS SANCTÆ ERIT HOC MIHI: & sequitur in textu, PER GENERATIONES VESTRAS. *Quo in loco nobis inconsiderate prætereunda non erit dictio illa קורש qhodes, quæ Sanctum vel Sanctitas interpretatur. Et in Hebraica phrasi per virgulam maccaph dictioni משחה mischat antecedenti, quæ unctionem significat, jungitur, nequaquam vero dictioni שמן schein, quæ oleum significat, quemadmodum legisse nostrum Interpretem constat: cætera dicto loco pag. 1041.*

Viderunt autem similia de hac versione, & alii inter Pontificis Romani asseclas cordati viri, quos inter FACCIOLATUS asserere haud dubitavit, *versionem Vulgatam huc illuc ita obscuram esse & perplexam, ut ex linguis sacris debeat explicari*, in Oratione, qua Studium Linguarum Veterum commendat. Confer quæ de aliis leguntur MISCELL. DUISBURG. I. pag. 564.

S. VII.

Sed regredimur ad Davidem cui Deus, quia unctus ejus erat, promisit, *Se velle lucernam ei disponere*. Lucerna non solum denotat Filium, qui ipsi in regno succederet, sed potius ejusmodi progeniem, quæ Patri suo, magnæ gloriæ, populoque ipsius haud exiguo decori & emolumento esset. Hanc vocis significationem addiscere possumus ex 1. Reg. XI. v. 36. & 1. Reg. XV. v. 4. 5. ubi ira de Rehabeamo Salomonis Filio, licet sensu minus efficaci adhibetur. Involvere autem vocem hanc significatu suo etiam utilitatem, quæ in populum Dei a Rege quodam redundat, patet quam clarissime ex 2. Sam. XXI. v. 17. ubi jurarunt viri Davidis ipsi dicendo: *non exibis amplius nobiscum in prælium, ut non extinguas lucernam Israelis.*

Rex

Rex igitur quidam, Patri suo lucerna est, quando in regimine suo, bona principis attributa ostendit, nec a recto tramite versus dextram, neque sinistram versus recedit. Sic magnis in alto loco suo in quem euectus est virtutibus splendet, & subditos suos amoena luce exhilarat; Sic gloriam genitoris sui, populique honorem atque opes insigniter auget. Viderunt hoc Veteres cum illis, qui rerum scientia, virtutibus, bonisque artibus aliis antecellebant, permitterent ad summos in republica honores aspirare. Testis hujus rei est Annalium Romanorum elegantissimus Scriptor TACITUS, qui, sequentia libris suis inseruit; *apud Majores virtutis id premium fuerat, cunctisque civium, si bonis artibus fiderent licitum petere magistratus; ac ne etas quidem distinguebatur, quia prima juventa consulatum & dictaturas inirent.* Melius se res haberet, magisque TACITI verba juvarent, si ultima illa quæ de prima adjecit juventa, omisisset.

Bonus sane Princeps oprata luce omnes bonos replet, namque Αρχων αγαθος εδεν διαΦερει πατρος αγαθου ut est apud XENOPHONTEM CYROP. lib. 8. pag. 553. edit. HUTCHENS: Quare & sapius Veteres ejusmodi Principem Patris Patriæ titulo cohonestarunt; ut larga ex antiquis Authoribus copia, demonstravit HEUMANNUS Poecil. l. I. pag. 162. Cyrus ipse propterea egregie mentem hac de re exposuit suam, dicens: Εγω δε οιμαι τον αρχοντα & τω εαδεεργειν χηναι διαΦερειν των αρχομενων αλλα τω προνοειντε και φιλοπονειν προθυμωμενον ibid. lib. I. pag. 70. conf. & pag. 85. scilicet Αρχοντος εστιν εκ αυτων μονον αγαθου ειναι αλλα και των αρχομενων επιμελειοθα οπως ως βελτιστοι εσονται lib. 2. pag. 107.

Sic boni principis est egregia Prolemæorum exempla sequi, de quibus JOSEPHUS: εδεν γαρ ειη τοις βασιλευσι τει τοις ωκονομητο, παντα δε μετα πολλης επιμελειας επραττετο. *Antiq. Jud.* lib. XII. cap. 2. pag. 588.

Imprimis in Principe, quem animo nostro sub illustri lucernæ figura subjicimus, requiritur, ut sapientia, rerumque scientia sit imbutus, & æquitatem in judicio pietatemque in Deum colat. Nemo sane nisi qui ab omni sapientia plane adhor-

abhorret, negabit, CICERONEM sui temporis Principem & in republica & in Philosophia veritatem ipsam scripsisse, quando ait: *Si quodam in libro vere est a nobis philosophia laudata, profecto ejus tractatio optima, atque amplissimo quoque dignissima est.* *Academ. Quæst. lib. IV.* Vellem scripsisset homini principi sanam philosophiam, cui inquirendæ omnem navabat operam CICERO summe esse necessariam. Suo sane jure dicit, hic eloquentiæ parens, qui summam merito in eo laudem quærit, quod Sapientiæ studium eloquentiæ junxerit, *Si quodam in libro vere est a nobis philosophia laudata; Id enim sæpius factum esse, reliquæ doctissimorum operum ejus satis superque docent.* *Quid est, per Deos, optabilius sapientia, quid præstantius, quid homini melius, quid homine dignius?* Sic laudat sapientiam & simul philosophiam, quæ quicquam aliud non est, si interpretari velis, quam studium sapientiæ, si illum audire vis. *Officior. lib. 2.* *Sapientis animus, agnosce iterum, benevole Lector, elegantem stylum CICERONIS, magnitudine consilii, tolerantia rerum humanarum, contemptione fortune, virtutibus denique omnibus ut moenibus septus, vincetur & expugnabitur? Parad. in vita tamen occupata — pauca ipsa (quæ e philosophia quis hausit) multum sæpe profunt* *Tuscul. Quæst. lib. II.*

Merito igitur Princeps ille, qui Sapientiæ studio animum dicatum tenet, præsertim quando lumen suum cum aliis quoque communicat, lucerna potest appellari. Imprimis autem hoc titulum eum dignum reddit æquitas & pietas. Audiamus hic iterum CICERONEM: *optandum ut ii qui præsumunt reipublicæ, legum similes sint, quæ ad puniendum non iracundia, sed æquitate ducuntur* *de Offic. l. I.* Ibidem quoque rectissime dicit: *in Justitia maximus est splendor virtutis, ex qua viri, boni nominantur; Veluti olim regibus Epitheton boni solebat attribui, ut docet, PITISCUS in SUET. NER. cap. 32. p. 439.* Rectissimum enim & veritati consentaneum, judicium est MACROBII de justitia: *Neque respublica, dicit ille, nec exiguus hominum coetus; nec domus quidem*
F
parva

parva constare potest sine justitia SOMN. SCIP. lib. I. cap. I. Unde justitiam tanquam jucundissimum lumen magni aestimare fas est, imo admiratione prosequi, ut vult ARISTOTELES *πραξις των αρετων δεκει η δικαιοσυνη, και εθ, εσπερος, ετ σινος ετω Σαυματος.* Ethicor. lib. V. cap. IV. quo cum belle conspirant, quæ Cicero, qui arva sua ex rivis Græcis largiter rigavit, testatus est: *quanquam omnis virtus nos ad se allicit, facitque ut diligamus, in quibus ipsa inesse videatur tamen justitia & liberalitas id maxime efficit* Offic. lib. I. conf. Proverb. III. v. 13. seq. Et sane si quis optatissimos, quos æquitas sive justitia profert fructus, apud animum consideret, haud inficiabitur, Principem magnum, qui illam colit, dignissimum esse, qui Lucerna appelletur.

Talis Princeps suum cuique tribuit, bonos tuetur, multisque beneficiis cumulat, malos corrigit, eosque, prout eorum sunt facinora, vel e medio tollit exemplari supplicio, vel in rectum tramitem reducit. Tandem autem necesse erit, ut princeps, qui tanquam lucerna splendescere velit, pietati in Deum studeat. Ita enim aliis exemplo suo præluens, eorum animos permovebit, sua premere vestigia, Deumque pio animo indefinenter colere. Sic omnem navabit operam, ut religio a summo numine præscripta, facta, tecta maneat, & omnia probe observentur, quæ illa ab hominibus postulat. Beatus sane est populus, qui tanta in luce ambulare potest, cujus Rex nobilium progenies est.

§. VIII.

A Deo autem ejusmodi Princeps erat expectandus, qui & hic promittit, *se dispositurum esse uncto suo lucernam.* Verba Dei in futuro sumenda esse, nulli dubitamus, cum res ipsa hic loquatur, & nexus eorum cum præcedentibus id quoque postulet. Non autem adeo enallage temporis, quam potius ellypsis conversivi vav (γ) hic statuenda est, cum illa particula plurimis in locis, ornatus causa, omissa esse videatur. Sæpissime id observavimus, præcipue autem sequen-

quentibus in locis adeo clarum est, ut negari nequeat, nempe Eſa. XII. v. 1. Hof. VI. v. 1. Levit. XXVI. v. 44. & Pf. XXII. circa finem.

Dei fane erat folius ejusmodi lucernam diſponere, ut hic loci conſideravimus. Ille eſt æterna & inexhauſta omnium bonorum ſcaturigo, qui propterea tanquam fons aquæ vivæ coli debet, JEREM. II. Ille eſt *Luminum Pater*, a quo omnia bona & perfecta dona cælitus deſcendunt JAC. II. Illius eſt dare *Spiritum*, Es. XI. Ille ex ſincero corde dat ſapientiam ad bonum finem, iis, qui illius indigent, & eum ſupplices venerantur JAC. IV. Sic præparat dilectis ſuis, tanto eos complectitur amore, lucernam, ut lumine ejus, pulſis ignorantia & vitiorum tenebris, gaudere queant.

§. IX.

Apparet igitur ex dictis, ſatis, niſi me omnia fallent, clare, benigniſſimum Numen verbis hiſce, quæ illustravimus, Davidi uncto ſuo promiſſa, maximi momenti dediſſe. Inde certe fides, inſigne robur acquirere, & animum Iſraelitarum firma ſpe poterat replere, fore ut & preces ſuæ, quas ad Deum pro uncto ipſius ſcil. Salomone miſerant v. 10. exaudirentur. Orabant: *propter Davidem ſervum Tuum ne avertas facies uncti Tui*, qui ſcilicet, cum templum ab eo exſtructum inauguraretur, ad Deum ſeſe ſupplex converterat.

Quo pacto Deus faciem hujus uncti ſui, pudore ſuffunderet, cum de illo Davidi fidem feciſſet, fore ut reges inter tantum potentia valeret, & ſapientia, omniumque virtutum fulgore exſplenderet, quantum *inter Stellæ luna minores?*

Eo firmior poterat eſſe eorum ſpes fideſque, quo clarius illis jam temporibus videbant, Salomonem illum eſſe principem, quem Deus Davidi tanquam cornu excitaverat, & lucernæ inſtar inſtruxerat. Nemo autem facile tantis in tenebris verſatur, ut non, vel me nihil monente, videre queat.

hæc lætis illis temporibus, tam inaugurationis Templi, quam Festi Tabernaculorum accommodatissima fuisse. Immo in sequenti post Salomonem ævo, hæc divina promissio sæpius potuit repeti, atque fidem piorum confirmare. Fulcrum spei Deum impleturum prædicta de Messia latebat in flore Domus Davidicæ, Davidi enim prædictus erat iste filius 2. SAM. VII. germen illud justum Davidis Jer. XXIII. 4. Extincta ejus profapia omnis de Messia decollabat spes. Versabatur autem sæpe familia ejus in summo discrimine, ob odia vicinorum, attentata regum Israëlitarum, inprimis ob clades quibus aliquoties docente historia affecta, & fere extincta est. Promissio de lucerna Salomone, sigillum erat promissionis de ejus successoribus ad Messiam usque.

§. X.

Licet igitur illis ipsis, qui supremis labiis mysteria sacra gustarunt, haud ignotum possit esse, qua ratione in Salomone potentissimo & sapientissimo Rege, verba divina sint adimpleta; tamen recordatio eorum nec injucunda nobis, neque inutilis erit.

Ille fane fuit cornu instar monocerotis, cum hæres exiterit validissimi regni Israelis, quod ipsi Pater ejus David secundum voluntatem divinam reliquerat; Rex invictissimus & hostibus suis tremendus.

Consideres quæso, quo miro modo David hostes suos sibi subjugaverit, aliis profligatis, simulque opes suas auxerit, ut relatum legimus 2. SAM. VIII. & agnosces Davidem & Filium hæredemque ejus reges validissimos fuisse. David sibi Filioque suo subjecit Moabum, Syros, Edomum, viresque Ammonis, Philistæorum, Amaleci, aliorum quibus in bello superior erat, debilitavit.

Salomon autem, justissimo Regis titulo & potestate universo, præfuit Israeli populo, tunc temporis florentissimo & fortissimo, cujus opes, ipso regnante, magis magisque augebantur, ut traditum est 1. REG. IV. ubi imprimis obser-

vandum

vandum quod in fine adjicitur. *Jebuda autem & Israel (erant) quoad multitudinem, sicut arena quæ est in littore maris, comedentes, & bibentes, & læti.*

Hic quoque observasse juvabit quod additur v. i. cap. V. sequentis: *Præterea Salomo fuit dominans in omnia regna, a Fluvio ad Terram Philistæorum, & usque ad terminum Ægypti, cætera vid. Celeb. IKENII Dissertatio de Terminis Terræ Cananæ, quam contra exceptiones Cl. MILLII defendit, in suis Eruditorum quas edit Symbolis.* Superfedemus addere omnia tunc temporis beneficio Salomonis divitiis abundasse, cum Secula illa ad augendas Principum vires, auri argentique magnam copiam non adeo requirerent. Cum autem læti possent vivere, scepra tenente potentissimo Salomone, qui erant semen Jacobi & progenies Abrahami atque Isaaci; Inde statim elici potest, Regem ipsorum fuisse lucernam, Davidi uncto Dei dispositam. Sic ducimur ad considerandam Salomonis summam sapientiam, æquitatem, & pietatem, quæ attributa effecerunt, ut regnante eo Israelitis jucundissimum lumen affulserit.

Eum sane fuisse regum longe sapientissimum, ut plerumque audit, sacræ paginæ iis confirmant argumentis, ut ea nos in admirationem maximam merito rapiant. Testimonium Spiritus Sancti hac de re hisce conceptum est verbis: *Et dedit Deus sapientiam Salomoni & intelligentiam mensura ingenti, & amplitudo cordis ejus (erat) sicut arena, quæ (est) ad littus maris. Multiplicata namque est Sapientia Salomonis præ sapientia omnium filiorum Orientis, & præ omni sapientia Ægyptiorum.* Rectissime verba hæc, me quidem iudice, interpretatus est BUDDEUS in *Historia Ecclesiastica* V. T. Per. II. Sect. III. pag. 218. & seq.

Rejecit summo jure nugas JOHANNIS DE PINEDA aliorumque, qui Salomoni scientiam artis Medicæ & Magiæ Naturalis perfectissimam, aliaque tribuunt. Conf. HEUMANNUS in *Actis Philosoph.* P. VII. pag. 26. & seq.

Summam ei sapientiam concessam esse ex citato loco BUDDEUS demonstrat. Assurgere quoque viro laudato fas est, quando cum SEBAST. SCHMIDIO aliisque verba

17
19 27
20 26
21
22
23
24

hæc \square קד נני vertit per *filios Orientis*, cum sic commodiorem sensum teneant, magisque cum sequentibus quando de *Sapientia Ægyptiorum* mentio injicitur, conspirent, quam si quis illa cum aliis reddere velit per *antiquos homines*. Errarunt hunc errorem nonnulli Interpretes, eo inducti Versione Græca, quæ minus recte LXX. Viris assignatur, quam & JOSEPHUS *Antiq. Jud. Lib. VIII. cap. II.* secutus est.

De Philosophis autem in Oriente, quo pertinent imprimis Chaldæi & Arabes, qui tempore Salomonis floruerunt, certi quidem nihil affirmari potest. Ex iis tamen quæ Græci de illis Orientalibus, qui forsitan sequioribus temporibus vixerunt, narrant, inferri posse videtur, populos illos jam olim philosophiæ studiosissimos fuisse, conf. STANLEIUS *Hist. Philos. pag. 13.*

Saltem veteres, quæ de Abrahamo, qui ex Chaldæa oriundus erat, memoriæ tradiderunt, si modo vera sint, facile nos permovere possunt, ut credamus Chaldæos multis jam retro Seculis, ante Salomonem Philosophiæ operam dedisse. De dicto autem Patre testatur Josephus, eum Ægyptiis Arithmeticam & Astronomiam tradidisse. $\tau\eta\nu\ \tau\epsilon\ \alpha\iota\theta\eta\mu\eta\tau\iota\kappa\eta\nu\ \alpha\upsilon\tau\omicron\iota\varsigma\ \chi\alpha\rho\iota\zeta\epsilon\tau\alpha\iota\ \kappa\alpha\iota\ \tau\alpha\ \pi\epsilon\rho\ \alpha\sigma\tau\rho\nu\omicron\mu\iota\alpha\nu\ \pi\alpha\rho\alpha\delta\iota\delta\alpha\sigma\iota$ *Antiq. Jud. cap. lib. I.* Quod idem postea cap. VIII. Testimonio BEROSI confirmavit.

Hæc quidem rejecit BUDDEUS *citato libro P. I. Sect. III. pag. 321.* argumento à silentio Scripturæ Sacræ adhibito; Sed cum scopus spiritus sancti longe alius fuerit, quam omnia, quæ de Abrahamo memoratu digna erant, referre, & res ipsa nihil absurdum præ se ferat, traditionem illam antiquam non ita rejiciendam esse, ducimus.

Magnam itaque veritatis speciem inde acquirit sententia, jam olim imo antiquissimis temporibus philosophiam apud Chaldæos cultores suos nactam esse.

Inde facile concludi potest, eam scientiam apud Orientales, haud exigua incrementa, ætate Salomonis cepisse, quod simul nobis ostendit ingentem Sapientiæ Regis hujus magnitudinem, cum ille omnes filios Orientis longo post se intervallo reliquerit.

Sed imprimis *multiplicata est ejus Sapientia præ Sapiaentia Ægyptiorum.* Hi sane dudum ante ortum Salomonis sapientiae laude inclaruerunt, quod tam Sacrae litterae, quam alia Veterum monumenta satis superque testantur. Mosen, observat Stephanus ο πρωτομαρτυρ, omni Ægyptiorum sapientia imbutum fuisse Act. VII. v. 22. Quippe quod requirebatur, ut postea populo Israelitico rite praesse, eorumque rempublicam administrare posset. Hæc sapientiae gloria, quam sibi acquisiverant Ægyptii, inflarat eorum mentem, ut consilarii Pharaonis, non Pharaon ipse, ut quidam verba Prophetæ acceperunt, dicerent: *Filius sapientum ego* Esa. XIX. v. 11. Ægyptii de inventione Geometriæ, Astrologiæ, & Arithmeticae gloriati, ut ex DIODORO SICULO, DIOGENE LAERTIO, PLATONE, STRABONE aliisque demonstravit THEOD. HASÆUS in *Biblioth. Brem.* Tom. III. cap. VII. pag. 498.

Si Straboni credendum τῶν ἐν Αἰγύπτῳ εὐρημα γεωμετριῶν φησι ἀπο τῆς χωρομετριᾶς ἢ Νεῖλος ἀπεργάζεται συγχέων τὰς ὄρας καὶ τὰς ἀναβάσεις: *Ægyptiorum inventum geometriam dicunt, propter terræ dimensionem, quam Nilus causatur, cum terminos & accessiones confundit* Lib. 16. pag. 757. Quo cum conspirat quæ SERVIUS observavit ad VIRGIL. ECL. III. v. 41. *de virga Philosophorum, qua Geometriæ lineas indicant, dicens: Inventa autem hæc ars est tempore, quo Nilus plus equo crescens confudit terminos possessionum; ad quos innovandos adhibiti sunt Philosophi, qui lineis dividerunt agros, inde geometria dicitur.* Vide & alia, quæ ad hanc rem attulit, HASÆUS l. c. pag. 496.

Traditio autem Judæorum quam supra attulimus, facit, ut Ægyptiis hac in parte nequeamus fidem adhibere, quando sibi inventionis Geometriæ laudem tribuunt. Sed hoc hic loci minoris est momenti, & sufficit nobis ostendisse, Ægyptiorum Sapientiam. Facilius credere possumus, quæ restantur Veteres de Litteris, quas invenerunt Ægyptii, deque arte imprimis Hieroglyphica. Sic TACITUS *Annal.* lib. XI. §. 14. p. m. 405. *Primi per figuras animalium Ægyptiis*

ptii sensus mentis effingebant, & antiquissima monumenta memoriae humanae impressa saxis cernuntur, & litterarum semet inventores perhibent. Hermetum Trismegistum, qui & Thautus sive Theur appellatur, imprimis Hieroglyphicæ auctorem fuisse testatur PLATO in *Phædro* T. III. & PHILO BIBLIUS apud EUSEBIUM *Præparat. Evangel.* lib. I. cap. 7. quos & citat J. M. GLASENERUS in *Bibl. Brem.* Cl. VII. fascic. 6. p. 677. seq. ubi & alia quæ huc pertinent allata, videbis.

De aliis quoque scientiis quas excoluerunt Ægyptii, scilicet Medica & Chemica in Sacris paginis haud obscura reperiuntur argumenta. Diserte enim de Medicis narrant, qui inter servos Josephi fuerunt, quibus princeps ille de condiendo Patre suo mandata dedit. Postea præcepit Josephus servis suis, Medicis, ad condiendum patrem: condierunt ergo Medici Israelem, ut verba textus Gen. L. v. 2. latine reddidit SMIDIUS. Moses autem, qui ex Ægyptiorum institutione suam hausit scientiam, ut supra vidimus, documento est artis eorum Chemicæ, cum vitulum aureum in pulverem dissolverit Exod. XXXII. v. 20. Hinc itaque summa elucet Salomonis sapientia, quando scriptor sacer eam super Ægyptiorum sapientiam, quæ apud veteres tantis celebratur elogiis, extollit.

Quæ præterea Judæi de colloquio Regis hujus cum animalibus brutis, deque arte ejus magica finxerunt, tales sunt nugæ, quæ nec ullam quidem refutationem merentur, cum non summæ sapientiæ sed potius stultitiæ signa sint. Quanta autem Davidi in Israele Lucerna fuit Salomo? adjicitur citato loco REGUM: & sapiens fuit præ omnibus hominibus, præ Ethane Esrahbita, & Heman & Kalkole & Dardao, filii Macholis: unde fuit nomen ejus (celebre) inter omnes gentes circumcirca. Locutus autem est tria millia proverbiorum, & santicum ejus fuit quinque & mille. Insuper locutus est de lignis a Cedro, quæ in Libano usque ad byssopum, quæ exiens in pariete: locutus est etiam de bestia, & de ave & de reptili, & de piscibus. Ideo venerunt ex omnibus populis ad audiendum

um sapientiam Salomonis, ab omnibus Regibus terræ, qui audiverunt de sapientia ejus. i. Reg. V. v. 11-14. Plurima sane ille in regimine suo sapientiæ, documenta dedit, cum opera ejus ad normam illius essent directa; ita ut omnes obstupescerent, qui illa attenta mente confiderarent. Tale quid refertur de Regina Scheba, quam Scriptores Arabes Belkis appellant, quæ fama Salomonis impellebatur, ut iter ad eum faceret, ad tentandum eum ænigmatibus; cum itaque illa videret omnem Sapientiam Salomonis, & domum, quam edificaverat: & cibum mensæ ejus, & sedem servorum ejus, & stationem ministrorum ejus, & vestimenta eorum, & pincernas ejus; holocaustum etiam ejus, quod obtulit in domo Feboab, non fuit in ea amplius spiritus i. Reg. X. v. 4. 5.

Notandum hic est Salomonem cum regno Patris sui admotus esset, a Deo humiliter petiisse, & accepisse cor, quod ad sapientiam acquirendam aptum esset, ut narratur i. Reg. III.

Justitiæ illum, æque ac sapientiæ deditum fuisse, historia ejus minime nos dubitare sinit, cum talia de eo referantur, quæ simul justitiæ & sapientiæ amorem in Rege hoc maximum testantur. Probant hoc preces illæ, de quibus mentionem injiciebamus: *cum servus tuus, dicebat, in medio (sit) populi tui quem elegisti; populi numerosi, qui non numeratur, neque recensetur præ multitudine; dabis servo tuo cor audiens, ad judicandum populum tuum, ad discernendum inter bonum & malum. Quis namque possit judicare populum tuum numerosum hunc? i. Reg. III. v. 8. 9.*

Talem sapientiam justitiæque statim ostendit, in mirando illo judicio, quo rem valde dubiam, cuiam scilicet meretricum vivens puer esset assignandus, cum utraque illum altero per noctem mortuo postularent, ita claram reddidit, ut nemini amplius ullum dubium reliquum posset esse. *Cum igitur audirent universus Israel judicium, quod judicaverat Rex, timuerunt sibi a Rege; quia sapientia Dei in eo (esset) ad faciendum judicium i. Reg. III.*

Cum Salomon tandem templum extruxerit pretiosissimum,

17
19 27
20 26
21 5
22
23
24

num, & ardentibus ab Deo precibus petierit, ut populo suo in æde sua suppliciter patulas præbere aures velit, eique adesse; ut legimus 1. Reg. VIII. In eo argumentum videmus pietatis Salomoneæ clarissimum.

Ecce igitur cornu Davidi erectum lucernamque uncto Jehovah exstructam, gloriam Patris sui, & honorem populi Israelitici novis radiis illustrantem.

§. XI.

Nunc nihil super est nisi, ut quædam de sensu mystico, qui sub involucrio verborum elucidatorum latet, adjungamus; ut aliquo modo in gratiam redeamus cum iis, qui rejecto sensu literali, hic filium Davidis, qui & Dominus ejus est, intelligunt. Licebit hic nobis supponere, Israelem aurea Salomone regnante tempora videntem, quasi in tabula depictam, prætulisse felicitatem Ecclesiæ novi fœderis, qualem ea sub Imperatore Constantino Magno acta est.

Passim hæc sententia assensu virorum doctissimorum est approbata, & ea quoque concedenda est, si quis in ordine rerum præcipuarum, quæ populo Israelitico contigerunt, imaginem futurorum ponere velit.

Iis igitur serenis N. T. diebus fas erat, recordari promissionis Dei, olim Davidi de cornu ipsi erigendo, deque præparanda lucerna factæ; eaque fidei atque spei gratiæ divinæ & omnigenæ salutis novum robur addere.

Fieri hoc optime poterat, cum potentissimus ille, simul & Sapientissimus universi Israelis Rex Salomo, splendidam exaltati Domini & Regis nostri Jesu Christi, imaginem gesserit. Patet hoc quam clarissime ex diversis Sanctorum librorum locis, quibus vel ipse Servator noster Salomo dicitur, vel in descriptione ejus ad gloriam Salomonis Israelitarum felicissimi Regis alluditur.

Salomonis nomen ei imponitur in CANTICO CANTICORUM; & ad regem illum alluditur, quando Psalmo XLV. & LXXII. describitur, ut Rex qui insigni fulget gloria, & inter gentes

quo-

quoque celeberrimi est nominis, quemadmodum & Salomon erat I. Reg. V. II.

Sic summa quoque sapientia appellatur Prov. cap. VII. VIII. & IX. Quo etiam referri potest, quando sub Emblemate lucis imo Solis ipsius venit Jes. IX. & Mal. IV. Ante omnia hic observandum nobis est quod legitur Ps. CX. ab initio: *Dominus dixit domino meo: sede ad dextram meam, donec posuero omnes hostes tuos in scabellum pedum tuorum.* Hæc commodissime explicari possunt, si quis statuatur respici hic ad Salomonem, quem David vitalem adhuc auram spirans in solium suum evexit.

§. XII.

Nemo autem facile eorum, qui Jesum Christum tanquam Regem suum venerantur, in dubium vocabit, eum, imprimis postquam ad dextram patris sui exaltatus esset, Salomonis, qui cornu atque lucerna appellatur, antitypum esse. Ille sane Rex est omnium Regum potentissimus, cujus Imperio omnia sunt subiecta, qui verbo suo omnia sustentat, Rex invictissimus, contra quem, nec validissimi hostes stare possunt. Propterea expressis verbis cornu Salutis dicitur Luc. I. v. 69.

Ille maximum robur suum demonstravit in bello, quo ingentes hostium copias superavit, eosque partim regno suo subjecit, partim autem in perniciem dedit. Ad hosce referendi sunt Princeps tenebrarum, infensissimus humani generis hostis; nec non subditi ejus, qui regis sui crudelissimi nutum fideliter sequuntur. Vicit hosce suos, & populi sui hostes, dum morti animam suam tradidit, & tanquam victor ipseus mortis e sepulchro resurgens, caput exulit altum. Consideres quam tremenda fuerit Satanæ potentia & inde facile videbis, quam validum sit cornu nostrum in domo Davidis erectum, quod illum superavit Es. XLIX. Ebr. II. De mundo quidem, ubi Satanas suos habet sectatores & subditos, dixit ipse Jesus Dominus noster: *εντα κοσμου*

17
19 27
20 26
21 5
22
23
24

Θάψιν εἴτετε ἀλλὰ θάψετε, εγὼ νενίκηκα τὸν κόσμον Joh. XVI. v. 33.
 Ante autem, quam exaltatus esset jam ostendit quantis viribus
 sit instructus, dum Diabolos e suis domiciliis ejecit, atque me-
 dios per hostes suos, qui magno numero in necem ejus conspi-
 rabant, transire, furoremque eorum refrænare potuit. Sic pla-
 ne divinam demonstravit potentiam; quippe illa sola furibun-
 dorum hominum animos flectere, & a proposito retrahere
 potest. Dum autem, ad totius mundi sedit gubernacula exalta-
 tus ad dextram Patris sui, Dominus noster hostes ipsius tam e
 Gentibus, quam Judæis, magno suo malo senferunt in dextram
 ejus sceptrum roboris, sceptrum ferreum datum esse Ps. II. v. 9.
 Memoria enim traditum est, pessimos hosce homines, qui
 subditos regni celorum persequi & extirpare decreverant,
 flammis iræ ipsius esse superfusos, & in æternam pernici-
 em detrusos.

Consideremus quantas cornu illud salutis vires exerat,
 in convertendis & ad se trahendis animis electorum, qui
 ipsi a Patre suo in æterno pacis consilio assignati sunt. Illo-
 rum ita mutat flectiturque corda, ut videant ipsi, omnesque
 sana ratione præditi agnoscant, hoc non sine Numine fieri.
 Illi apertis intellectus sui oculis vident, optatissimum, pre-
 ziosissimumque esse, quod antea ipsis scandali instar, vel
 stultitiæ plenum fuerat.

Illi ardentissimo animi affectu rapiuntur in id, quod an-
 tea abhorruerant, quodque est contra concupiscentias per-
 ditæ carnis. Commoventur illi regiam libertatis legem,
 tanquam unicam normam agendorum sequi, & pedem su-
 am a via perversa in rectum flectere.

Nonne hæc omnia firmissimo nobis sunt argumento,
 maximis imò divinis viribus regem nostrum, Salomonem,
 tanquam cornu salutis, esse præditum? Talem fore illum,
 Sacra prædixerunt oracula, quando Ps. CX. v. 2. 3. dicitur:
*Sceptrum roboris tui mittet Jehovab e Zione (dicens): do-
 minare in medio hostium tuorum. Populus tuus (erit popu-
 lus) promptitudinum in die virium tuarum, in honoribus sa-
 stitatis.* Idem cecinit Vates Ps. XLV. Author: *accinge
 gladium*

gladium tuum super femur, o potens, (in) decore tuo & honore tuo. Et in honore tuo conscende; equita super verbo veritatis & mansuetudinis justitiaeque, & docebit te mirabilia dextra tua. Tela tua acuta sunt; populi cadent sub te, in corde hostium regis v. 4. 5. 6.

Ne autem quis existimaret eloquentiae Apostolorum conversionem hominum tribuendam esse, ita Evangelium annuntiari voluit rex noster, ut omnes vim ipsius verticordiam agnoscere possint. Optime huc faciunt verba gentium Apostoli, qui plures quam alii, adjuvante eum gratia Christi ad obedientiam ejus perduxit. Non enim (ait ille) misit me Christus baptizare, sed Evangelium annunciare, non in sapientia verbi, ne inanis reddatur crux Christi: Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est, nobis autem quae servamur Dei robur est. Nos autem Christum crucifixum annunciamus; Judaeis quidem scandalum; Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judaeis & Gentibus, Dei robur & Dei sapientiam 1. Cor. I. v. 17. 18. & v. 23. 24. Idem quod docet Apostolus in 2. Epistola ad CORINTHIOS cap. IV. v. 7. tenemus autem, dicens, thesaurum hunc in vasis fictilibus, ut excellentia potentiae sit Dei, nec ex nobis.

Ecce igitur Salomonem nostrum tanquam cornu salutis, tanquam regem potentissimum delineatum.

§. XIV.

Ille etiam summo jure Lucerna appellatur; Sed hic ante omnia observandum est, sapientissimum Servatorem tantum antecellere Salomonem, quantum solis meridiani lumen nocturnae lucernae lucem superat. Summa Sapientia est Jesus noster, propheta maximus, quem Pater caelestis, Spiritu Sapientiae & intelligentiae, Spiritu consilii & roboris, Spiritu cognitionis & timoris sui ipsius unxit Esa. XI. & Matth. III. Joh. I.

Quanta ille fulgebat sapientia quando hostibus suis, qui illum quaestionibus fallacibus irretire nitebantur, respondendo pudorem suffundebat? Lucae XX. v. 20-40.

Quantam ille dispergebat lucem quando Myſteria ſalu-
tis referabat, atque Oraacula Veteris Teſtamenti explicabat?
Ita ut ſummo jure dicere potuerit: *ego ſum lumen mundi, qui
me ſequitur, in tenebris haud ambulabit, ſed lucem vitæ habe-
bit* Joh. VIII, v. 12.

Hoc quoque facit ut gloriari cum Apoſtolo poſſimus:
Nox præterit, dies autem adventavit Rom. XIV. v. 12.
Nunc eſt amoenum tempus, nunc eſt dies ſolutis 2. Cor. VI. v. 2.
Ejus doctrina Lux eſt, quæ nobis aperit viam reconcilia-
tionis miſerrimorum peccatorum cum Deo, quæ detegit
qua ratione corrupta hominum mens corrigi, & ad com-
munionem cum Deo præparari, atque reduci poſſit. Hic
via oſtenditur, qua hæredes vitæ æternæ in ſupernas oras,
loca quietis, & gloriæ tendunt, qua hoc tempore quo in
carne vivunt, terreſtres & imprimis cœleſtes benedictiones
nancifcuntur.

Tandem doctrina hæc ſalutaris, amoena nos recreat ſo-
lidiffimæ conſolationis luce, quando triſtiora fortunæ nu-
bila tenebras animo noſtro obduxerunt. In ipſa atra morte,
quæ alias omnes, etiam fortiffimos terrore replet homines,
Dominus Jeſus noſter optatiffima Lux eſt, quando animæ
ſeſe offert, *ut illam tanquam dux ille Salutis, qui per paſſio-
nes conſumatus eſt, in æternam introducat gloriam* Ebr. II.

Sic ſatis apparet, Salomonem tanquam cornu atque lu-
cernam, imaginem optimi Servatoris noſtri geſiſſe, ſed no-
ſtrum Salomonem illum Veteris Iſraelis regem multis para-
ſangis poſt ſe relinquere. Excitaverat illum Deus, cum
amaret Iſraelitas, paraveratque Davidi uncto ſuo; eadem
quoque de noſtro Salomone affirmari poſſunt. Nemo fane,
niſi benigniffimus ſimul & potentiffimus Pater tantum eri-
gere cornu, tamque lucentem inſtruere lucernam poterat;
& nonne eo ipſo intenſiffimum amorem demonſtravit Deus
optimus maximus, dum tantam perditis hominibus exhi-
bit gratiam? *Ita Deus dilexit mundum ut Filium ſuum uni-
genitum daret, quo omnes, qui in eum credunt, non perirent,
ſed vitam æternam haberent* Joh. III.

Maximæ

Maximæ igitur gloriæ fuit Davidi, quando Deus ei cornu hoc excitavit instruxitque lucernam, cum non modo omnis spes vitæ domus Davidis, sed & cunctorum fidelium in eo semper fuerit reposita, qui tanquam Filius Davidis voluit celebrari.

Sed cum hoc per se satis clarum sit, vela hic contrahimus, ne limites dissertationis transeamus, supplici mente Servatorem nostrum orantes, ut sese tanquam cornu Salutis, & Lumen mundi ad augendam Ecclesiæ suæ beatitatem magis magisque ostendere velit.

TANTUM.



17
19 27
20 26
21 5
22
23
24

Maxima igitur gloria fuit Davidi, quando Deus ei cor-
tu hoc excausat, maximeque iudicium, cum non modo
omnis ipse vult dominus Davidis, sed & cunctorum fidelium
in eo semper fuerit reposita, qui tandem Filius Davidis vo-
lunt celebrari.

Sed cum hoc per se satis clarum sit, velle hic constata-
mus, ne limites dissertationis transgrediamur, suppliciter mente
servariorem nostrum ornare, ut sepe tandem cornu Salu-
tis, & Lumen mundi ad eandem Ecclesiam sine periculo

EMENDANDA:

Pag. 6. lin. 29. leg. posterorum, pag. 8. lin. 1. leg. conjungatur, pag. 9. lin.
21. leg. καταστασις, pag. 15. lin. 26. leg. cornu Davidis, pag. 19. lin. 20.
leg. eam, pag. 20. lin. 25. leg. Zachariam, pag. 21. lin. 18. leg. inter, pag.
24. lin. 29. leg. quo, pag. 26. lin. 19. leg. אור, ibid. lin. 25. & 32. lege
אור




Index


- 1.) Seigelken de Marak, ad Exod. 15, 22-25.
- 2.) Konner de Lepre ad miseris. Lev. 14, 34. ad fin.
- 3.) Schlegelmacherus de Blasphemi miseris, ad historiam Lev. 24, 10 fin
- 4.) Stackmannus de Cemeterio, Moabitum Idolo. Num. 21, 29. 1. Id. 11, 24. 2. Reg. 11, 7, 33. & c.
- 5.) Wagner de Homicida involuntario egulante in urbe ref. usq. ad mortem Pont. M. Num. 35. Deut. 19, 47, 50
- 6.) Heflerus, de Promulgatione Benedictionum & Imprecationu e montib; Garijin & Cal. Deut. 11 & 27. Hof. 8, 30, 31
- 7.) Opinus de Septuaginta ejusq; in Rupem Salutis sua delictis, ad Deut. 32, 15.
- 8.) Kulenkamp de Nisroch, Idolo Affricorum. 2. Reg. 19, 37. & Esai 37, 38.
- 9.) Henius de Cemarin ad 2. Reg. 23, 5. Hof. 10, 5. & Zephan. 1, 4.
- 10.) de Cuijper de Promissionib; quas Ciphazus Saba offert. Job. 22, 24, 25.
- 11.) Henius de Rivis fluvii, urbem Sci & habitacula Allisfimi latificantib;. ad Jf. 46, 5.
- 12.) Ep- Brookhausen Specimen Exegeseos sara pro explicando Jf. L.
- 13.) Henius de Sufflo, ut Palma germinante, ut Cedrus in libano crecente ad Jf. 92, 13.
- 14.) Rhodius de Exoubis Patrum expectantium Mare N. T. ad Jf. 130, 6.
- 15.) Treyer ad Locum Jf. cxxxii, 17.
- 16.) Niemsoet de Incundâ Fratrum Concordiâ ad Jf. cxxxiii.
- 17.) Lampe de Prunâ ab altari sumtâ ad Jf. 6, 6.
- 18.) Henius de Pravitate Israëlis subactione & peccatorum in profundissimâ mare projectione ad Mich. 7, 19
Bauer de Enigmate Propheta Zacharia Cap. 1X, 17. (Vid. Tom. I. ad Bibl. N. T. ad hoc sign. **)
- 19.) Henius de Anathemate quo Deus, ob Regia-manifestati rejectionem, terram percussit Malach. 4, 6.
- 20.) — de Finib; Terra promissa hujusq; successivâ occupatione.
- 21.) Rhodig de Noviluniorum ap. Hebraos facis. Num. X, 10. XXVIII, 11-15. & c.
- 22.) Büfing de Tabis Hebraorum argenteis. Num. X, 1. & c. Pars I.
- 23.) ————— Pars II.
- 24.) Brünings de Sacrificiis Eucharisticis. Lev. III & c.
- 25.) Stackmann de Quob; Panibus Pentecostalib;. Lev. XXIII, 17. Pars I.
- 26.) ————— Pars II.
- 27.) Flake de Oblatione Thuris, feris jungi solitâ. (13. Epist. de Miseris Thuris, V. Tom. V. ad B. V. T. n. 49)

Faint, illegible handwriting on aged, yellowed paper. The text is mostly obscured by fading and bleed-through from the reverse side of the page. Some faint lines of text are visible, but they do not form any recognizable words or sentences.









the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE203 Serial No. 031 Patch Reference numbers on left



facierum dabant. His autem testimonium allatum, quo igni holocaustorum thus hoc ferit minimè repugnat; ille enim non lo- mpli secundi, sed de altari tabernaculi, in r distinctio locum habuisse non videtur; velive est cogitare, JOSEPHUM omnem em ita vocare, quoniam is ejus usus ad ope holocausta præcipuus erat, unde ip- e holocausti dictum fuit, vid; RELAND. de pl. Rev. IKEN ad Tamid. locum cit,

§. XVI.

hæc injectio thuris in ignem non manu, at disertè docet MAIMON. in Maase. Hak- ומתנו על גבי האישום מכלי שרת (pugillum nempe ferti cum thure) in vase ministerii. Deinde requirebatur ut, omnes oblationes interdù fieri debebant, Maase. Hakkorb. cap. IV, §. 1. etiam thus deretur, idque iplo die quo adductum es- sequente enim demum die illud adolere Judæi censent, & excidii pœnam huic cri- MENACH. Cap. I. m. 3. unde nec Thus onis additum, extra Sabbathum quo illud e mensa tollebatur igni dare, vel etiam alio ad hanc mensam inferre licuit, vid, ME- quia hoc ex illis operibus erat quæ, ut Ju- int Sabbathum, id est non obstante Sabbathi uerunt. Tandem ante omnia quoque omne npe pugillus, vel in panibus propositionis ferto crustulorum Pontificis Max. dimidius erò vesperi in ignem mitti, neque vel mi- lios usus converti debuit. Quod privum m solum ex omnibus oblationibus, ita uti oblatum ebuit, v. MAIM, in Maaf Hakkorb. Cap. XVI. oblationis thuris nihil addimus, cum illud idem

Ejus cir- cumstantie.

E 2

esset